DE CRIPPSIANO ET OXONIENSI
ANTIPHONTIS DINARCHI LYCURGI CODICIBUS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXXI M. JULII A. MDCCCLXXXIX HORA XI

IN AULA LEOPOLDINA

PUBLICE DEFENDET

ADOLFUS BIENWALD

SILESIUS.

ADVERSARII ERUNT:

OTTO GRUNDKE, DR. PHIL. GYMN. CRUCIBURG. COLLEGA.
JOANNES STANJEK, CAND. PHIL.
FRANCISCUS STRILLER, DR. PHIL.

GÖRLITZ 1889.

DRUCK DER GÖRLITZER NACHRICHTEN UND ANZEIGER.

Postquam anno tricesimo octavo h. s. Eduardus Maetzner editione Antiphontea codicem Oxoniensem (N) publici iuris fecit, utrum hic an Crippsianus (A) in Antiphontis Dinarchi Lycurgi orationibus edendis praeferendus sit magna inter viros doctos contentio est. Atque ille quidem Oxoniensem summis laudibus extulit, quam sententiam Fr. Franke acerrime defendit. (act. diurn. antiqu. scient. 1843, p. 259 seqq.) Ad eandem sententiam accessit Victor Jernstedt, qui in editione Antiphontis (Petropoli 1880) codicis N propugnator exstitit, et Fr. Blass quoque in utraque editione Dinarchi (Lips. 1871 et 1888) et in utraque Antiphontis editione (Lips. 1871 et 1881) illum maxime codicem secutus est. Neque vero desunt, qui Crippsianum fundamentum artis criticae in illis orationibus tractandae esse velint. Ab his partibus inprimis Herm. Sauppe stat, qui N codicem a viro docto interpolationibus temptatum esse censet. (Quaestiones Antiphonteae. Gottingae 1861, p. 3 seqq). Quam sententiam Briegleb (Zur Kritik des Antiphon, Anclam 1861), Hug (De arte critica in Antiphontis orationibus factitanda (Turici 1872, p. 18 seqq), alii amplexi sunt.

Funditus vero Oxoniensis auctoritatem Graffunder (De Crippsiano et Oxoniensi Antiphontis Dinarchi Lycurgi codicibus. Berol. 1882) labefactare studuit. Num vero effecerit quod voluit, nunc indagemus. Ac primum quidem aliorum codicum, quibus Antiphontis Dinarchi Lycurgi orationes nobis traditae sunt, paucis mentio facienda est. Quorum lectiones (Laurentiani B, Marciani L, Vratislaviensis Z, Burneiani M) cum semper fere consentiant cum codice A, si propriae auctoritatis essent, ad auctoritatem codicis N destruendam multum conferrent. Sed hanc Hugii (l. l. p. 22 seqq) et Reutzelii (exercitationes criticae in Anti-

phontis orationes. Gissae 1869) opinionem, qui B codici aliquantum auctoritatis tribuit, Blass (edit. Antiph. alt. praef. p. VII seqq) et Jernstedt (edit. Antiph. praef. p. XIX—XXII) suo iure reiecerunt eorumque sententiam H. Buermann (Hermae vol. XVII p. 385 et 386) luculentis argumentis confirmavit.[1]) Nec minus inter omnes constat A et N ad unum exemplar redire. (cf. Graffunder l. c. p. 3—5.) Jam igitur ad ipsos codices A et N examinandos aggrediamur. Quorum alterum A aemulo N eam ob causam fide praestare Graffunder iudicat, quod A librarius codicem descriptum ab initio usque ad finem iterum perlustraverit et vitia, quae errore admiserat, correxerit.[2]) (cf. Graffunder l. c. p. 6—8.) Idem in corrigendo non solum verborum collocationis rationem habuit, sed etiam ad aspirationis et ceteras pronuntiationis notas animum attendit.[3])

Sed hae correctiones ea tantum condicione A librarium N librario diligentia et fide longe praestare testimonio essent, si eis omnia vitia sublata essent vel minima pars relicta esset. Qua de re ut certum iudicium faciamus, omnia vitia, quae uterque librarius in quinta Antiphontis oratione commisit,[4]) afferre mihi liceat.

His locis N peccavit:

hyp. λωποδίτασ — λωποδύτας.

§ 11. ὄρχον — ὅρχον
οἰχεία — οἰχία
ἤ — ἥ.

§ 12. συμπαρελθὼν — σὺ παρελθὼν
εὑρὼν — ἐξευρὼν
ὄρχον — ὅρχον.

§ 13. ἀλλωχόμην — ἀλλ᾽ᾠχόμην.

---

[1]) cf. etiam Cucuel: Essai sur la langue et le style de l'orateur Antiphon. Paris 1886, p. 3—5.

[2]) Quae altera manu correcta sunt, silentio praetermittimus. (cf. Blass praef. XII—XV et Graffunder l. c. p. 6.)

[3]) Din. I, 87 non A, sed altera manus αὐταὶ ex αὗται restituit.

[4]) locos dubios eaque vitia, quae utrique codici communia sunt, omitto.

§ 14. παρανομιαν (sine acc.)
ἡμᾶς — ὑμᾶς.
§ 15. μαρτυρία — μαρτύρια,
§ 16. ἐλὼν — ἑλών.
§ 17. με — μοι
ἐπέλειπε — ἐπέλιπε.
§ 20. θρᾴκες — Θρᾷκες.
§ 22. ὡρμησάμεθα — ὡρμισάμεθα.
§ 23. μετέβημεν — μετεξέβημεν
ἐκ post ἐκβὰς omisit.
§ 27. ἄποθεν — ἄπωθεν.
§ 31. ἀπηλλαχθαι (acc. om.)
§ 33. κατεψευσάμενος — καταψευσάμενος
πειθείη — πεισθείη
κατεψεύδεσθαι — καταψεύδεσθαι.
§ 36. μὲν post ἐχρῆν om.
§ 41. ἀδίκους — ἀδίκως.
§ 42. συνελεῖν — συνανελεῖν.
§ 45. ἀνασπογγίσαι — ἀποσπογγίσαι
ἔνδον ὢν αὐτοῦ — ἔνδον ὧν αὐτοῦ.
§ 50. συμφερον (acc. om.)
τὸτὲ μὲν — τοτὲ μὲν.
§ 53. εὑρεῖν — ἐρεῖν.
§ 60. αυτῶ — αὐτῷ
δὲ post δεῖ om.
§ 61. καλλίω — καλλίων.
§ 62. τεθνᾶναι — τεθνάναι.
§ 63. ἐπέτισα — ἀπέτισα.
§ 65. τῶ δὲ μὴ ἐργασαμένω
pro τῷ δὲ μὴ εἰργασμένῳ.
§ 66. προσήσκει — προσήκει.
§ 68. Ἐφιαλτην (sine acc.).
§ 70. ἀπολώλει — ἀπωλώλει.
§ 71. πυνθάνασθαι — πυνθάνεσθαι.
§ 72. ω ἀνδρὸς — ὦ ἄνδρες.
§ 73. χρεῖσσον δὴ — χρεῖσσον δὲ
ἀπολλῦναι — ἀπολλύναι.

§ 79. ὑπ' ἐμοὶ — ἐπ' ἐμοί.
§ 81. διαπράσεσθε — διαπράσσεσθε.
§ 82. τοῦ δὲ — τοῦτο δέ.
§ 85. με — μου.
§ 90. ὄρκον — ὅρκον
διομοσομένους — διομοσαμένους.
§ 91. ἀπολελωκόσι — ἀπολωλεκόσι.
§ 92. γὰρ post μὲν om.
§ 94. ἄν νῦν — ἃ νῦν.
§ 96. ἐὰν δὲ . . . κατηγορήσωσι
pro ἐν δὲ . . κατηγορήσουσι
ὄρκον — ὅρκον
ἐστὶ ἔτι — ἔσται ἔτι
ὄρκῳ — ὅρκῳ
ἐνέστι — ἔνεστι.

In Crippsiano vero haec vitia remanserunt:
Ant. V, 2 γάρ με — γάρ με.[1])
§ 5. γλώση — γλώσσῃ
γνώσσης — γλώσσης.
§ 7. ὀρθωμένους — ὀρθουμένους.
§ 12. ἀνομότοις — ἀνωμότοις
αυτος (acc. om.).
§ 13. στερέσθαι — στέρεσθαι.
§ 14. ἤ ante οὐ om.
§ 16. ἐποίησω — ἐποιήσω.
§ 17. καθεστάναι — καθιστάναι
ἐπιμεληται (sine acc.).
§ 23. τοπαράπαν — τὸ παράπαν
ἐκ post ἐξέβην om.
§ 24. κατεμαυτοῦ — κατ' ἐμαυτοῦ
πλέον — πλέων.
§ 27. γε post εἴπερ om.
§ 28. νῦν δὲ μὲν ὧ pro
νῦν δ'ἐν μὲν ᾧ.
§ 31. ἐπ' ἀμφοῖν — ὑπ' ἀμφοῖν
ἐλπισας (acc. om.)

1) Cf. Jernstedt: Corrigenda et addenda.

§ 33. ἐνταῦτ' — ἐνταῦθ'
ἄθρωποι — ἄνθρωποι
ἀπογορευόντων — ἀπαγορευόντων.

§ 36. τῶ λόγων — τῶν λόγων.

§ 38. μηνύη ἄν, τις — ἄν μηνύῃ τις.

§ 39. συνανελὼν om.

§ 41. τοτελευταῖον — τὸ τελευταῖον.

§ 42. ὁ ante ἐν om.
διατέλους — διὰ τέλους (bis).

§ 44. ἀνὴρ — ὁ ἀνήρ.

§ 46. κατα (sine acc.).

§ 49. τότε — τοτὲ.

§ 51. γενόμενος — γιγνόμενος.

§ 54. μὲν post τοῦτο om.

§ 56. οὐκέτ' οἱόντ' ἦν — οὐκέτι vel οὐκέθ'.

§ 59. ἁλοιης — ἁλοίης.

§ 63. ὑπερημερον (acc. om.).

§ 64. λὸγω — λόγῳ.

§ 65. μακρότερον — μακρότατον.

§ 66. ἀξιοῦται — ἀξιοῦτε.

§ 67. δὲ γ'ἤδη — δέ γ'ἤδη.

§ 68. ἤξει οὐ — ἠξίου
μηνύσαι — μηνῦσαι
ἐν post μάχαιραν om.

§ 76. τήνδ' εὔνοιαν — τὴν δὲ.

§ 78. τὸ πλῆθος τὸ ἡμέτερον
pro τ. π. τ. ὑμέτερον.

§ 79. πατηρ acc. om.
πολῆς — πολλῆς.

§ 82. γίγνεσθε — γίγνεσθαι.

§ 83. ὁσίοις — ὅσοις.

§ 84. ἐναντίον — ἐναντίων.

§ 85. κριτοὶ — κριταὶ.

§ 91. ἀπωλωλέναι — ἀπολωλέναι.

§ 93. αὐτῶ — αὐτῷ
εἰργασμένον — εἰργασμένῳ
ἀσεβηκότων — ἀσεβημάτων.

§ 94. ἔργω — ἔργον
ἡμῖν — ὑμῖν.

Itaque N duodesexaginta vitia, A septem et quinquaginta commisit. Etiam in aliis orationibus A multa vitia reliquit.[1]) Quid? Nonne is singulari neglegentia fuit, qui quod in scribendo deliquerat corrigere studens iterum dormitavit? Velut Ant. V, 23 A τὸ πάπαν scripserat, quod postea in τοπαράπαν mutavit. Sed scribendum erat τὸ παράπαν. Neque Ant. V, 63 quod sibi proposuerat, effecit. Nam cum pro ὑπὲρήμέτερον, quod neglegentia exaraverat, archetypi lectionem ὑπερήμερον restituere vellet, accentum addere oblitus est. Etiam Din. I, 99 testatur A librarium animum non satis ad scribendum attendisse. Nam postquam ὑμεῖς μὲν ὁ exaravit, particulam omissam καὶ perperam post μὲν et tum demum recte ante ὁ inseruit. Din. I, 70 autem cum nonnulla verba oculos fugisse cognovisset, verba καὶ τοὺς — εἰσφέρειν in margine addidit, sed verba antecedentia καὶ κλέπτειν iterum neglexit.

Quodsi A non multa emendavisset, eius codex vitiis scateret. Itaque Graffundero adstipulari non possumus, qui ex illis correctionibus concludit A librarium diligentia excellentem fuisse. Immo concludendum est in eo eius modi ingenium ac naturam fuisse, ut ad rem propositam animum attendere non posset. Quo fit, ut rectius quam Graffunder iudicet Arnoldus Hug (l. l. p. 12), qui dicit: „Erat enim codicis A librarius tantae et imbecillitatis et neglegentiae homo, ut incredibilem peccatorum numerum admitteret." At — haec mihi Graffunder respondebit — eum maxima diligentia fuisse putandum est, qui librum iam perscriptum ab initio usque ad finem cum archetypo contulit. Sed hoc

[1]) In prima Antiphontis oratione A sedecies, N undetricies, in II or. A duodevicies, N vicies sexies, in III or. A sexies decies, N novies, in IV or. uterque bis et vicies, in VI or. A quinquies et vicies, N quinquies et tricies, in Dinarchi orationibus A duodesexagies, N duodeseptuagies, in Leocratea (§ 1—33 et § 99—150) A vicies quinquies, N vicies septies peccaverunt.

verum esse nequaquam exploratum est. Ac Jernstedtius quidem (praef. p. XXXI) dicit: „multa procul dubio statim mutavit supplevitve, alia videri potest paullo post correxisse.“ [1])

Jam nobis de eis locis disserendum est, ubi N et Apr. eandem vel similem eamque falsam lectionem praebent, A corr. rectam. Liceat igitur hos locos enumerare.

Ant. I, 5 προβολῆς NApr., προβουλῆς A1.
I, 26 ὡς γε NApr., ὅς γε Acorr.
II, α arg. λυσίω Npr.,[2]) λυσείω Apr., λυσίου A1.
II, α 7 ἀποφεύξασθαι NApr., ἀποφεύξεσθαι A1.
II, β, 12 κατάγνωτε NApr., καταγνῶτε A1.
II, γ, 10 φανερός NApr., φανερῶς A1.
II, δ, 3 μου NApr., μοι A corr.[3])
II, δ, 11 ὡς NApr., ὅς A1.
III, γ, 9 ὡς πρέπει NApr., ὡς οὐ πρέπει A1.
IV, γ, 6 οὗτος NApr., οὕτως A1.
V, 7 διαπράσσονται NApr., διαπράσσωνται A1.
V, 28 ὁμολογῶσιν NApr., ὁμολογοῦσιν A1.
VI, 11 διδασκάλιον NApr., διδασκαλεῖον A1.

Din. I, 5 μέλει NApr., μέλλει A1.
I, 14 Πελοπόνησον NApr., Πελοπόννησον A1.
I, 26 κοινὸν αὐτὸν παρέχων NApr., κ. αὑτὸν π. A1.
I, 47 γενόμενος NApr., γινόμενος A1.
I, 56 πενταδραχμίαν NApr., πεντεδραχμίαν A1.
I, 73 ἐπαμινώνδας NApr., ἐπαμεινώνδας A1.
I, 98 βουλεύεσθε NApr., βουλεύησθε A1.
III, 9 καταστήσετε NApr., καταστήσητε A1.
III, 15 ὑφ' ὑμῶν NApr., ὑφ' ἡμῶν A1.

[1]) Aliter Hugius (l. c. p. 12): „quorum“ (sc. vitiorum) „partem statim animadvertisse videtur et correxisse inter scribendum: altera vero pars eaque maior post librum conscriptum sive ab ipso sive ab alio emendata est.“

[2]) Altera manus in N (N_2) correxit λυσίου.

[3]) Thalheimius (De Dinarchi codicibus commentatio, p. 4) dubitat de hoc loco et de I, 26, utrum A ipse an altera manus emendaverit.

Lic. 107, 7 ἐχθρὸς γὰρ NA pr., ἐχθρὸς μὲν γὰρ A_1.[1])

Has igitur discrepantias unde ortas esse putabimus? Hac de re Theodorus Thalheim (l. l. p. 5) optime disseruit, qui censet nonnullis locis primo utrumque librarium ductus archetypi ad legendum difficiles male interpretatum erravisse, alterum deinde errore cognito ad illius exemplum correxisse, aliis locis iam archetypum duplicem lectionem habuisse aliis denique locis A librarium ipsum proprio ingenio mutasse. Et profecto quis est qui contendat, illum tam hebetem et rudem fuisse, ut non μέλει in μέλλει, Πελοπόνησον in Πελοπόννησον, βουλεύεσθε post ἐὰν in βουλεύησθε aliaque emendaret. Itaque non est, quod cum Blassio (praef. p. XV seqq.) et Buermanno (l. c. p. 392 seqq.) putemus omnibus illis locis iam archetypum manum correctricem expertum esse, neque Graffundero (l. c. p. 12) assentiemur omnibus illis locis in utrumque codicem eadem vitia casu invasisse eaque A librarium postea archetypo iterum collato emendavisse. Sed plurimis locis N et A pr. falsam archetypi lectionem servaverunt, quam A postea suo Marte recte emendavit.

At qui non dubitavit veras lectiones, ut cum archetypo conspirarent, postea falso mutare, qui putes eum verba tradita arbitrio suo emendavisse? (cf. Graffunder l. l. p. 9. 10). Sunt enim loci, ubi N et A_1 falsam, Apr. veram lectionem praebeant. Priusquam hos locos enumerem, mihi praemittendum est nullum locorum, quos Graffunder e Dinarchi orationibus collegit, in eo numero poni posse. Nam Thalheimio teste I, 60 N et Apr. λυσιτελὴς ἤ, A_1corr. λυσιτελὲς ᾖ (rectum est λυσιτελήσῃ) et I, 93 N et Apr. ἴδια pro ἰδίᾳ[2]) exhibent. Neque I, 108 huc spectat, quoniam non liquet, utra manus in A ex ἀπολογεῖσθαι, quod rectum est, ἀπολεῖσθαι rasura restituerit. Etiam Ant. V, 13.

[1]) Alios locos, quos Graffunder (l. c. p. 11) attulit, silentio praetermisi, quod correctiones Thalheimio testante partim ad alteram manum in A referendae sunt, partim incertum est, ubi rasura mutatum est, utra manus correxerit.

[2]) Hoc altera manus in A restituit.

VI, 9. VI, 21. VI, 44 detrahendi sunt[1]) cum neque Apr. neque A_1 genuinam lectionem servaverint. Ergo hi loci restant:

II, δ, 7 ὑπὸ τῶν κυρίως NA_1, κυρίων Apr.
IV, δ, 10, ζητεῖν ἀποκτείνειν NA_1, ζητεῖν Apr. omisit.
V, 16 ἀπολείπεται NA_1, ὑπολείπεται Apr.
V, 94 πράξεσθ' NA_1, πράξεθ' Apr.
VI, 28 καταμαρτυρούντων NA_1 (κατὰ in margine).
VI, 42 προδιαδικασίας NA_1 (δια supra versum).
ειν
VI, 47 καταδικάσαι A, καταδικάσειν N.

Din. I, 17 μεταβαλλόμενος NA_1, μεταβαλόμενος Apr.

Lyc. I, 146 contra NA_1 pronomen ὑμῖν Apr. recte omisit.

Ac nonnullis quidem locis, ut Ant. VI, 28. 42. 47 iam archetypum duplicem lectionem exhibuisse et utramque a librario A exscriptam esse suspicor.[2]) Etiam IV, δ, 10 ζητεῖν et Lyc. I, 146 ὑμῖν in margine archetypi fuisse videntur, quae verba A librarius, cum primo non animadvertisset, postea demum recepit. Sed II, δ, 7, V, 16, V, 94 archetypi ductus tam male scriptos fuisse veri simile est, ut uterque librarius haesitaret, quo modo legendum esset. Denique Din. I, 17 A librarium, cum animo eius διαμείνας obversaretur, felici casu aut emendandi studio μεταβαλόμενος scripsisse puto, quod postea secundum archetypum in μεταβαλλόμενος mutavit.

Quamvis igitur hi loci demonstrare videantur A librarium id egisse, ut quam accuratissime exemplar describeret, facere non possumus, quin iudicium, quod supra (p. 8) de eius ingenio atque indole prompsimus, retineamus. Nam qua fuit animi imbecillitate atque inconstantia, quod facere studuit, saepissime non assecutus est.

---

[1]) V, 13: ὤφλειν Apr., ὄφλειν NA_1, rectum: ὀφλεῖν.
VI, 9: τούτου εἰδεῖ Apr., τουτουὶ δὴ NA_1, rectum: τούτων ἰδίᾳ vel simile aliquid.
VI, 21: valde corrupta sunt verba.
VI, 44: ἡμέραι Apr., ἡμέραις NA_1, rectum: ἡμέρας.

[2]) cf. Thalheim l. c. p. 5.

A autem librarium in describendo codice nequaquam tanta religione fuisse quanta Graffunder censet, ex eis potissimum locis apparet, ubi N et Apr. vera vel veriora nobis tradunt, A1 falsa. In eo enim deprehenduntur interpolatores, quod locos, qui obiter inspicienti corrupti videntur, re vera integri sunt, temptant vel locos corruptos specie sanant, re vera etiam magis pessumdant. Velut Ant. III, γ, 3 A ἡγήσασθε (Apr.), πεισθέντας corrigere oblitus, in ἡγήσησθε falso mutavit; rectum enim est ἡγήσασθαι (sic N). Neque alium A se praebuit Ant. IV, α, 2, ubi legimus: ὅστις οὖν τούτων ὑπὸ τοῦ θεοῦ ἀξιωθέντος τοῦ βίου ἡμῶν . . . ἀποκτείνει, (NApr.), A1 ἀξιωθείς. Quamquam ἀξιωθείς verba etiam magis perdit, tamen ei qui locum non accuratius inspexit et ὅστις — ἀξιωθείς — ἀποκτείνει coniungere voluit, rectum videri potuit. Et quis est, quin sciat librarios in eiusmodi emendationibus saepissime acquievisse? Itaque non iure dicit Adolphus Bohlmann (Antiphontea. Vratislaviae 1882, p. 2) neque virum linguae Graecae peritum neque imperitum ex ingenio suo ἀξιωθείς scribere potuisse. Nam cum A vir Graecus esset (cf. Blass praef. p. V et XXII), locum corruptum esse sensit, tantum vero aberat, ut ei mederetur, ut eum specie illectus plane perderet.[1]) Eodem modo A peccavit, si Ant. I, 1 pro ἔχει μοι (NApr.) rescripsit ἔχοιμι, V, 19 verbis summarii Ἕλος τις motus pro ἐλασσωθείς (NApr.) ἕλος σωθείς, VI, 10 pro καταψηφίσεσθε (NApr.) καταψηφίσησθε[2]) (verum est καταψηφίσαισθε), VI, 22, ubi falso N εἰ ἓν, Apr. εἶ . . praebet, εἰσὶ pro εἶεν reposuit. Hi loci etiam Graffundero (cf. l. c. p. 13. 14) dubitationem iniecerunt, sed frustra A librarium absolvere studet, si contra omnium virorum doctorum, qui Crippsianum excusserunt, consensum ad alteram manum illas correctiones referendas esse suspicatur. Etiam ob Din. I, 9 et I, 60 A in interpolationis suspicionem

[1]) IV, α, 2 Sauppe recte restituisse mihi videtur, qui coniecit: τούτων . . ἀξιωθέντων ἡμῶν, τοῦ βίου vero cum Baitero ut glossema delevit. Eandem sententiam Bohlmann (l. c. p. 19) amplexus est.

[2]) Hoc loco etiam Bohlmann (l. c. p. 2) concedit librarium A suo arbitrio verba mutasse videri.

vocandus est. Illo enim loco ὃ φυλάττει (NApr.) antecedentibus enuntiatis ᾧ — ἔδωκεν et ᾧ — ἐγκεχείρικεν motus, in ᾧ φυλάττει corrupit.[1]) I, 60 antem λυσιτελὴς ἢ (NApr.) ex λυσιτελήσῃ ortum esse, quis est qui neget? A1 autem λυσιτελὲς ἢ scripsit. Etiam Din. II, 3, ubi N γενήσεσθ' αὐτὸν, Apr. γενήσασθ' αὐτὸν, A1 γενήσεσθαι αὐτὸν tradiderunt, A arbitrio suo indulsisse existimo. Nec minus hoc de aliis nonnullis locis dicendum est, ubi A statim archetypi scripturam emendavit. In eis mihi non videtur esse Ant. I, 21, ubi A μέντοι τῷ pro μέν γε τῷ (N) scripsit.[2]) Neque Ant. VI, 21 locum prorsus truncatum laudo, ubi N suppeditat προκάθισται η,[3]) A προκαθῆσθαι, εἰ, quam ob rem Blass A librarium manifestae interpolationis insimulat. (praef. p. XXIII). Etiam eos locos silentio praetereo, ubi archetypum varias lectiones habuisse veri simillimum est, ut Ant. II, γ, 6 (A κίνδυνον, N ἀγῶνα) et IV, β, 4 (A πονηρῷ, N μοχθηρῷ). Nam quamquam mihi persuasum est Oxoniensem genuinam lectionem servavisse (cf. Din. I, 107 et 109, ubi Apr. contra NA1 in eisdem verbis erravit), in illis vocabulis quemquam offendisse non credo. Idem sentio de Din. I, 27 (τῆς πονηρίας A, τῶν ἀδικημάτων N), Din. I, 58 (κατὰ τὸν νόμον N, κατὰ τοὺς νόμους A), Din. I, 87 (γνῶσιν N, γνώμην A), Din. I, 111 (προσελήλυθε πρὸς τὸ πολιτεύεσθαι N, προσελήλυθεν εἰς τ. π. A),[4]) quibus locis Blass et Thalheim (cf. commentationem eius de Dinarchi codicibus p. 7, 8) suo iure Oxoniensi obsecuti sunt. Etiam Ant. IV, α, 2 (φῦλον N, γένος A) iam in archetypo γένος glossema fuisse censeo, quod A pro vera lectione φῦλον recepit.[5]) Fortasse eadem causa temporum discre-

---

[1]) Itaque A eodem loco etiam ὃ διαπεφύλαχε de industria in ᾧ mutasse in propatulo est. (cf. Cohn: Herm. vol. 22 p. 71.)

[2]) cf. Graffunder l. l. p. 15 et Schäfer (De nonnullarum particularum apud Antiphontem usu. dissert. Gotting. 1877 p. 44), qui γε particula omissa ἐγὼ μὲν τῷ scribi vult.

[3]) cf. Jernstedt ad h. l. et Blass: praef. p. XXII et XXIII.

[4]) cf. Din. II, 15: πρὸς τὴν πόλιν προσελήλυθε.

[5]) cf. Cucuel: Essai sur la langue et le style de l'orateur Antiphon. p. 22. 23.

pantia Ant. V, 52 (γεγένηται N, ἐγένετο A) orta est, etiamsi hic quoque comparanti mihi Ant. I, 18 (πειράσομαι .. διηγήσασθαι, ὡς γεγένηται ἡ δόσις) et V, 81 (προσέχετέ δὲ τὸν νοῦν αὐτῇ τῇ βασάνῳ οἷα γεγένηται) Oxoniensi obtemperandum esse videtur. Idem de Din. I, 17, I, 70, II, 15 sentio, ubi A praesentia, N perfecta verbi πολιτεύεσθαι (I, 17 συμπολιτεύεσθαι invenitur) exhibent et editores Oxoniensem secuti sunt (cf. Thalheim de Din. codicibus comment. p. 7) Magis dubium est, utrum Ant. III, δ, 4 (ἀποδείκνυται N, ἀποδέδεικται A) lectionem interpolatam iam in archetypo A invenerit an ipse eius auctor sit, cum obiter legentem praesens facile offendere potuerit. Certissime autem Ant. IV, α, 5 A tempus verbi corrupit. Ibi enim N suppeditat προσεχόντες, quod procul dubio in archetypo fuit, A vero προσέχοντες scripsit, cum eum fugeret propter insequens participium ἐπιθέντες legendum esse προσσχόντές.

Etiam Ant. II, δ, 5 (ἀωρὶ τῶν νυκτῶν N, τῆς νυκτὸς A) N fideliorem se praebet, nam poetico tetralogiarum generi dicendi Oxoniensis lectio optime convenit. Pluribus mihi de Ant. VI, 40 disputandum est. Ibi enim legimus: ἐπειδὴ ἐπύθετο (sc. ἡ βουλὴ) προειρημένον μοι εἴργεσθαι τῶν νομίμων ὑπὸ τούτων, οὓς ἑώρων etc. (N), ἑώρα A.

Facillime aliquis verbis antecedentibus ἡ βουλὴ et ἐπύθετο impelli potuit, ut pro ἑώρων scriberet ἑώρα. Ied ἑώρα nihil habet offensionis. Itaque lectio Oxoniensis ab interpolationis suspicione longius abest. Neque recte iudicat Bohlmann (l. c. p. 3) ἑώρων tam durum esse, ut ferri nequeat, quoniam eiusmodi constructiones, quas vocamus κατὰ σύνεσιν, permultae apud scriptores Graecos inveniuntur (cf. Curtius: gramm. gr. Prag 1875 § 362). Et diversorum numerorum copulationes etiam Antiphontem admittere Maetzner in edit. Ant. ad II, γ, 2 exemplis docuit.

Neque facere possum, quin Lyc. § 122 et § 123 auctoritati codicis Oxoniensis me addicam, ubi Cohnio adstipulatus (Herm. vol. XXII p. 67) λόγῳ μόνον (N) pro λόγῳ μόνῳ (A) legendum esse censeo, cum inter hos locos et § 116, ubi uterque codex λόγῳ μόνον praebet, nihil intersit. Frustra

igitur C. Rehdantz (in Lyc. edit. ad § 116) Crippsianum defendit. Denique eos locos in medium profero, quos a librario A interpolatos esse in oculos incurrit, ita ut dubitatio non remaneat.

Ant. II, β, 2 . . . ἱκανὰς λύπας καὶ φροντίδας προβέβληκεν (N) ἐμβέβληκεν (A). Sauppe recte restituit προσβέβληκεν, ex quo προβέβληκεν natum esse facile elucet. Probabilem igitur lectionem A reposuit, non autem veram. At προσβάλλειν de eis tantum rebus dicitur, quae „extrinsecus obiciuntur et quasi affricantur.“ (Graffunder l. c. p. 15. Bohlmann l. l. p. 10. 11). Itaque Graffunderi sententia verbum προσβάλλειν hic tolerari nequit. Sed eum in errore versari Herod. I, 136 (ἵνα . . . μηδεμίαν ἄσην τῷ πατρὶ προσβάλῃ) et Soph. Trach. 41. 42. (ἐμοὶ πικρὰς . . ὠδῖνας αὐτοῦ προσβαλών) ostendunt.[1]) Nostram sententiam etiam usus verbi προστιθέναι Ant. III, α, 2 (ἐνθύμιον . . . προσέθηκεν) confirmat.[2]) Accedit, quod illa verba non ita inter se differre, ut Bohlmann et Graffunder censent, ex Ant. V, 26 (λίθον αὐτῷ ἐνέβαλον εἰς τὴν κεφαλήν) elucet. Licet autem Antiphon scripserit ἐμβέβληκεν, quo modo N in vitiosum προβέβληκεν inciderit, minime intellegi posse Graffunder ipse confitetur.[3])

Ant. II, δ, 7 ὁ δὲ οὐκ ἔλεγχον παρασχὼν οὐδὲ βάσανον τι οὐ δίκην δώσει (N); A τι omisit. Id certum est τι οὐ falsum esse, nec minus clarum est Reiskii ingenium genuinam lectionem ποῦ repperisse, quod Ignatius (l. c. p. 136) sine iusta causa negavit. Neque enim ποῦ localem tantum vim habet, ut ille opinatur, sed etiam „quo modo“ significat et indignationem quandam exprimit, quod ex poetis tragicis, ut ex Soph. Ai. 1100 (ποῦ σὺ στρατηγεῖς τοῦδε;) et Phil. 451 (ποῦ χρὴ τίθεσθαι ταῦτα, ποῦ δ' αἰνεῖν,) clarissime apparet.[4]) Quis autem est, quin concedat ex ποῦ librarii errore facillime

---

[1]) cf. Bursian: vol. 46 p. 14.

[2]) cf. Ignatius: De Antiph. Rhamnusii elocutione. Berolini 1882. p. 40. 41 s. v. ἐνθύμιον.

[3]) Ignatii coniectura προσεμβέβληκεν (l. l. p. 14) non est probabilis, quod hoc compositum apud Antiphontem non invenitur.

[4]) cf. Godofr. Hermann ad Soph. Ai. v. 1260.

in archetypo τι οὐ nasci potuisse? Quod cum A non intellegeret, τι eiecit. Cum haec ita sint, etiam Kohmii coniectura (diurn. gymn. austr. 1884 p. 84) τί δίκην δώσει; reicienda est.

Ant. VI, 6 in Oxoniensi est: καὶ οὐκ ἴσον ἐστὶ τόν τε διώκοντα μὴ ὀρθῶς γνῶναι, A autem pro τε scripsit γε. Neque dubium est, quam ob causam hoc fecerit, quoniam particulae τε alterum τε vel καὶ non respondet. Sed fugit eum post ὀρθῶς verba αἰτιάσασθαι καὶ ὑμᾶς τοὺς δικαστὰς μὴ ὀρθῶς ob ὀρθῶς bis repetitum excidisse, quae Aldus ex Ant. V, 89 rectissime restituit. Quamvis igitur concedendum sit librarios sescenties τε et γε confundere, quid hoc loco A librario ansam ad emendationem dederit, magis perspicuum est, quam ut interpolationis eum liberare possimus.

Lyc. § 27. τοῦτον ἔχοντες ἐπὶ τῇ ὑμετέρᾳ ψήφῳ N, ἐν τῇ ὑμετέρᾳ ψήφῳ A.

Ad Cohnii sententiam accedo, qui A librario in suspicionem interpolationis vocato ὑπὸ τῇ ὑμετέρᾳ ψήφῳ legendum esse arbitratur (v. Cohn l. c. p. 64. 65 et Aem. Rosenberg: Zur äusseren und inneren Kritik der Leocratea. Ratibor 1876. p. 6).

Lyc. § 110. νομίζοντες ἐκεῖνα μὲν παρὰ τοῖς πολεμίοις εὐδοκιμεῖν, παρ' ὑμῖν ἀναίδειαν N, παρὰ δ' ὑμῖν ἀναίδειαν A.

Etiam hic L. Cohn ad sententiam suam me traduxit παρ' ὑμῖν δὲ legendum esse (cf. exempla, quae l. c. p. 65 collegit) et A falsum locum particulae δὲ in archetypo omissae dedisse.

Denique commemoro Din. II, 10, ubi A pro corrupto αὐτὴν τὴν ἀρχὴν (N) inepte τὴν αὐτὴν ἀρχὴν exaravisse haud scio an nemo neget. Dinarchus enim Meieri sententia ταύτην τὴν ἀρχὴν scripsit (cf. Thalheim: De Din. codicibus commentatio p. 8).

His disputatis demonstravisse mihi videor A librarium non tanta fuisse fide quanta Graffunder vult. Quamquam nobis concedendum est eum maiores interpolationes facere non ausum esse. Itaque cave putes eum virum sagacissimum fuisse. Nam eius emendationes plerumque ita sunt com-

paratae, ut vir Graecus, etiamsi minus eruditus fuit, eas facere potuerit, aliae vero ostendunt eum accuratius in rem non inquisivisse.

Jam igitur indagemus, uter codex altero deficiente pluribus locis ea verba nobis suggerat, quae in archetypo fuisse certum est. Ac maiores quidem lacunas, quibus N Antiphontis orationes corrupit, VI hyp. VI, 17. 32 A explevit, nec difficile est cognoscere eas ex verbis bis repetitis ortas esse. IV, β, 4 solus A retinuit ἔγκλημα, IV, β, 6 εἶναι, quod verbum sollemni errore propter praecedens ἡγεῖται omissum esse, quis est quin Jernstedtio (l. c. p. XXXIV) adstipuletur? Mirum vero est, si Graffunder (l. c. p. 16) quem virum maximo acumine fuisse censet, eum γενέσθαι ad φονέα rettulisse arbitratur. IV, δ, 5 verba καὶ τῆς ἑαυτοῦ, quae solus A habet, tam molesta mihi videntur esse, ut ea glossema esse putem, ad quod aliquis verbis διὰ τὴν ἑαυτοῦ ἀκολασίαν impulsus sit, praesertim cum A librarium ad notas marginales in versus recipiendas propensum fuisse aliis quoque locis cognoscatur. Velut V, 13 A solus εἶναι τὴν δίκην post ἐρήμην ὀφλεῖν inseruit, quae verba etiam Graffunder pro interpretamento habet. Idem de I, 7 sentio. In Crippsiano est: ὅπου δὲ μὴ ἠθέλησε ποιήσασθαι ἔλεγχον τῶν πεπραγμένων, πῶς περί γ'ὧν οὐκ ἠθέλησε πυθέσθαι, ἐγχωρεῖ αὐτῷ περὶ τούτων εἰδέναι; πῶς οὖν περὶ τούτων, ὦ δικάζοντες, αὐτὸν εἰκὸς εἰδέναι, ὧν γε τὴν ἀλήθειαν οὐκ εἴληφε; τί ποτε ἀπολογήσεται μέλλει μοι; N verba πῶς οὖν — εἰδέναι omisit eaque Blass in altera Antiphontis editione ut scholion seclusit, quam sententiam etiam Graffunder amplexus est. Contra Bruno Keil (annal. phil. 1887, vol. 135, p. 96) Crippsiani lectionem tuetur. Negat enim ille duo enuntiata interrogativa πῶς περὶ — εἰδέναι et πῶς οὖν — εἰδέναι idem continere, et tantum abest, ut ille insolita allocutione ὦ δικάζοντες offendatur, ut maximam subtilitatem in ea inesse iudicet, cum vertit „ihr, die ihr richtend entscheiden sollt". Quam ad sententiam haud scio an neminem traducat.[1]) Quodsi N V, 95 verba ἀραῖστων-

[1]) Equidem sic legendum propono: ὧν δὲ τὴν ἀλήθειαν οὐκ εἴληφε, τί ποτε (περὶ τούτων) ἀπολογήσεσθαι μέλλει μοι; cf. Polack: De enuntia-

δετοι a Dobraeo in ῥᾷστον δέ τοι felicissime correcta omisit, Graffunder ipse eum (l. c. p. 20) contra Sauppium (quaest. Ant. p. 12) Brieglebium (l. c. p. 5) R. Schoellium (annal. phil. 1871 vol. 103 p. 207) defendit. Hoc igitur loco addito sex locis A solus verba ad sententiam restituendam necessaria in Antiphontis orationibus conservavit.

N solus lacunam maiorem nusquam explevit, et concedo Graffundero I, 10 τοιαύτην (quamquam V, 50 ἄνευ βασάνου τοιαύτης et V, 52 ἡ μὲν βάσανος, ὦ ἄνδρες, τοιαύτη γεγένηται Oxoniensi favent) et I, 18 αὐτοῦ[1]) sententia non laesa deesse posse, nec tamen veri simile est N librarium ea verba proprio Marte addidisse, immo librarii saepius verba neglegere quam inculcare solent. (cf. Thalheim de Dinarchi codicibus p. 12). Sed vit. Antiph. (Jernstedt 1, 6) τότε melius retineri censeo. I, 27 autem αἰσχυνθεῖσα οὐδὲ et V, 93 συνανελὼν[2]) καί, quae verba in Crippsiano interciderunt, ex Oxoniensi recipienda esse omnes consentiunt. Neque suo iure Graffunder huius codicis auctoritatem contempsit, quod I, 22 καὶ ἀθέμιστα καὶ ἀνόσια καὶ ἀτέλεστα καὶ ἀνήκουστα καὶ θεοῖς καὶ ὑμῖν exhibet. (A καὶ ἀνόσια om.) Respicias enim velim Antiphontem notionum ubertate et abundantia verborum orationem magnificam et gravem reddere consuevisse. (v. Wiedenhofer: Antiphontis esse orationem, quam editiones exhibent primam. Wien 1884. p. 22.) Quodsi Cobet (Mnemos. 1880. p. 277) inter θέμις et ὁσία nihil interesse ratus verba καὶ ἀνόσια delenda censet, eum errare IV, γ, 6 (ἀθέμιστα καὶ ἀνόσια) documento est. (cf. B. Keil: l. c. p. 98 adnot. 27.) Denique VI, 42 δίκην, quod A post φόνου omisit, necessarium esse persuasum habeo. Nam δίκην ex τὴν δίκην δ'εἰσάγειν, cum haec verba longius absint, suppleri nequit. Si hoc fieri posset, Ant. V, 16 in verbis τοῦ φόνου τὴν δίκην ὠφληκότα multo iustius deesset τὴν δίκην, cum verbis paucis interpositis τοῦ φόνου τὴν δίκην legamus. Hos

---

torum interrogativorum apud Antiphontem et Andocidem usu. Halis Saxonum 1886. p. 14.

[1]) N habet levi errore αὐτοῦ.

[2]) N συνελών.

igitur locos, quos proposui, accuratius contemplatus, quamvis non affirmem eos solius Oxoniensis praesidio intellegi posse, tamen nego, nisi forte I, 18 huc rettuleris, eum verba supervacanea nobis tradidisse. Immo vero quinque locis (vit. Antiph. Jernst. 1, 6. I, 10. 22. 27. V, 39) meliorem sententiam Oxoniensis praebet, VI, 42 vocabulo δίκην nequaquam carere possumus.

Quae uterque codex in verbis omissis apud Dinarchum peccaverit, cum Thalheim (De Dinarchi codicibus commentatio p. 10—13) dilucide explicaverit, longius de ea re agere non opus est. Atque apparet ex illa dissertatione N librarium septies, A octies in illo genere aperte errasse.[1]) Et si quis quae ille disputavit accuratius secum reputaverit, facile fatebitur N librarium etiam I, 83 (ἄνδρες N, ὦ ἄνδρες A)[2]) et A I, 31 (τῆς πόλεως om. A) I, 52 (καὶ om.) I, 60 (δὴ post δεῖξον γάρ om.) III, 21 (μὲν post οὗτος om.) deliquisse. Sic efficitur N octies, A duodecies verba, quae in archetypo fuerunt, neglexisse. In Leocratea aperto errore omissa sunt in Crippsiano:

§ 1 τιμὰς καὶ.

§ 108 οὐχ ante ὁμοίως ἐχρήσαντο.

§ 128 ἐκ ante πόλεως εὐνομουμένης . . . παραδείγματα λαμβάνειν (v. Cohn: Herm. vol. 22 p. 62).

§ 129 in verbis ἵνα δὲ εἰδῆτε, ὅτι οὐ λόγον ἀναπόδεικτον εἴρηκα, ἀλλὰ μετ' ἀληθείας ὑμῖν παραδείγματα (N), ὑμῖν A eiecit, cum ei rarior collocatio pronominis offensioni fuisse videatur.

Dubitatio relinquitur, utrum in argumento ἡ τοῦ λόγου ὑπόθεσις (A) an ἡ τούτου τοῦ λόγου (N) ὑπόθεσις legendum sit. Utraque enim lectio exemplis comprobatur. cf. Antiph. I hyp. ὁ δὲ τοῦ λέγοντος τὸν λόγον πατήρ, Ant. II, α hyp. ἡ δὲ τοῦ λόγου διαίρεσις. Isae. VIII hyp. ὁ λέγων τὸν λόγον. —

---

[1]) De tautologia I, 6 περὶ τοῦ σώματος καὶ τῆς ψυχῆς (N om. ψυχῆς) v. Vogel: In Dinarchum curae grammaticae rhetoricae criticae. Lips. 1877. p. 68. 69.

[2]) Alias eiusmodi discrepantias, quae ad ὦ vocativo adiectum et omissum pertinent, cum Thalheimio in medio relinquo, cum hac in re codices nimis fluctuent.

Dem. III hyp. ἐν δὲ τούτῳ τῷ λόγῳ, VI hyp. διὰ τούτου τοῦ λόγου, VII hyp. οὗτος ὁ λόγος, VIII hyp. ὁ λόγος οὗτος etc.

Nec magis diiudices, utrum § 14 secundum N (ὁ ἀγὼν περὶ τούτου καὶ περὶ τῶν ἄλλων) praepositio repetenda sit nec ne (καὶ τῶν ἄλλων A).[1])

§ 123 Crippsianum (μὴ ἀποκτεῖναι) sequendum ratus μὴ οὐκ ἀποκτεῖναι (N) ex varia lectione originem duxisse suspicor.

N in Lycurgi oratione, quae aetatem tulit, nihil omisit, nisi forte credis § 27 Crippsiano auctore παράδειγμα ποιήσετε τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις (N om. ἀνθρώποις) legendum esse. Sed Cohnium (l. l. p. 61) A librarium aptis argumentis refutavisse iudico. Jam igitur, ut breviter complectar, quae de verbis omissis disputavi, id statuendum est utrumque librarium pari fere eventu erravisse. Neque quod N in Leocratea eiusmodi peccati convincere non potuimus, inde multum concludere licet, quoniam dimidia fere pars orationis in Oxoniensi temporum diuturnitate consumpta est.

Jam venio ad quaestionem facile omnium gravissimam, qua de causa A et N in verborum collocatione saepius inter se differant. Ac Graffunder (l. c. p. 21 seqq.) quidem censet A librarium ordinem verborum, qui in archetypo fuerit, nobis tradere, N autem suo arbitrio verba tradita transposuisse. Investigavit enim ille N librarium certas leges in ea re secutum esse. Velut eum accusat, quod quae sensu cohaereant, quamvis in archetypo aliis verbis segregata fuerint, ea propius collocaverit. Quo studio impulsum eum Ant. I, 11 κελεύων βασανίσαι ἀντ' ἐμοῦ pro κελεύων ἀντ' ἐμοῦ βασανίσαι (A), IV, γ, 6 ἐκ παντὸς τρόπου ἐλεγχόμενος ἀποκτεῖναι pro ἐλεγχόμενος ἐκ παντὸς τρόπου ἀποκτεῖναι (A), V, 73 χρὴ γίγνεσθαι ἀεὶ pro χρὴ ἀεὶ γίγνεσθαι (A), Din. II, 18 ὧν οὐδὲν ἂν ἔχοι δεῖξαι συμβεβηκὸς Ἀριστογείτων αὐτῷ pro οὐδὲν ἂν ἔχοι συμβεβηκὸς Ἀριστογείτων αὐτῷ δεῖξαι scripsisse. Nempe N Graffundero iudice non passus est infinitivum et verbum regens alio verbo distineri. Sed haec consuetudo Antiphontis simplicitati prorsus convenit,[2])

[1]) cf. Cohn l. c. p. 69.

[2]) v. Polack l. l. p. 34: Ut in interrogationibus sic in reliquis quoque enuntiatis a simplici verborum collocatione recedere veretur. (sc. Antiphon.)

ita ut N eam ob causam non iure libidinis accusetur. cf. Ant. I, 29: ἐπισκήπτουσι τιμωρῆσαι σφίσιν αὐτοῖς, II, β, 11 ὑμᾶς πείθων ἀπολῦσαί με, IV, δ, 10 τὸν δὲ μιαρὸν τῷ χρόνῳ ἀποδόντες φῆναι τοῖς ἔγγιστα.) Etiam maiorem simplicitatem in verborum collocatione apud Antiphontem in ea re cernimus, quod genetivum ei nomini subiungere solet, a quo pendet. E permultis exemplis haec attulisse sufficiat: II, α, 2 τὴν ἀσφάλειαν ὧν ἐπιβουλεύουσι σκοποῦντες, II, δ, 3 οὐδ' ἐλεγκτὴρ τῶν ἀποκτεινάντων εἰμί, V, 1 τὴν δύναμιν τοῦ λέγειν καὶ τὴν ἐμπειρίαν τῶν πραγμάτων, V, 14 ὅπερ μέγιστόν ἐστι σημεῖον νόμων καλῶς κειμένων, V, 35 ἔλεγχον τῆς ἀληθείας ἀπεστέρει. Itaque sine iusta causa Graffunder N librario irascitur, quod Ant. I, 7 pro ἠθέλησεν ἔλεγχον ποιήσασθαι τῶν πεπραγμένων (A) scripsit ἠθέλησε ποιήσασθαι ἔλεγχον τῶν πεπραγμένων, IV, γ, 3 pro οὐδὲ σημεῖον οὐδὲν ὑπολιπὼν ὧν ἠμύνατο (A) οὐδὲ σημεῖον οὐδὲν ὧν ἠμύνετο ὑπολείπων. Neque Din. I, 65 ubi N genetivum τῶν πεπραγμένων substantivo δίκην adiunxit contra A, qui praebet τὴν ἀξίαν δίκην δόντα τῶν πεπραγμένων est cur N librarium fraudis accusemus. Eodem enim iure A librarium ob Lyc. 22 reprehendas, quod τὴν ἀδελφὴν αὐτοῦ ἔχοντα contra N (τὴν ἀδελφὴν ἔχοντα αὐτοῦ) tradit. Quodsi Graffunder (l. l. p. 23) N vituperat, quod archetypo invito adverbium ea verba sequi iusserit, ad quae pertineat, A librarium ipsum accusat. Nam Ant. III, δ, 3 in Crippsiano legimus: θέλω δὲ ὑμᾶς πρῶτον μαθεῖν, in Oxoniensi autem: θέλω δὲ πρῶτον ὑμᾶς μαθεῖν (cf. Jernstedt: Ant. ed. Corrigenda et Addenda), Ant. I, 22 in A: ὑφ' ὧν ἥκιστα ἐχρῆν αὐτοὺς ἀποθνήσκειν, in N ὑφ' ὧν ἥκιστα αὐτοὺς ἐχρῆν ἀποθνήσκειν, Din. I, 9 in A τὸ πρότερον δοκοῦν εἶναι πιστόν, in N τὸ πρότερον εἶναι δοκοῦν πιστόν.[1]) Cum ob has differentias nemo A librarium iuste in suspicionem vocaverit, quo iure quisquam N librarium castiget, quod Ant. V, 42 τὸ παράπαν οὐδ' ἐκβῆναί μ' ἔφη pro

[1]) Ob Din. I, 9 Graffunder N librarium transpositorum verborum insimulavit, sed verborum sensum plane turbavit, cum vertit: „quod collegium nunc putant summa fide antea floruisse". Melius Plaschke (Dinarchi orationes tres. Waidhofen a. d. Thaya, 1885. p. 9) vertit: „Der Areogag, der früher als zuverlässig galt."

τὸ παράπαν ἔφη οὐκ ἐκβῆναί με exaravit? Neque τὸ παράπαν οὐδ' offensioni erit, qui contulerit Aristoph. Plut. 17 ἀποκρινομένου τὸ παράπαν οὐδὲ γρῦ) et Isocr. or. 17 § 35 (πείθων ὡς τὸ παράπαν οὐδ' ἦν ἐνθάδε μοι χρήματα). Idem de Din. I, 40 et II, 9 dicendum est. Cur autem in A Ant. V, 26 κἀγὼ λίθον ἐνέβαλον αὐτῷ pro κἀγὼ λίθον αὐτῷ ἐνέβαλον (N) legimus, Ant. VI, 9 εἴ τι ἐγὼ ἠδίκουν τὴν πόλιν pro εἴ τι ἠδίκουν ἐγὼ τὴν πόλιν (N), Lyc. § 19 κατηγοροῦντα τούτου (ἴσασιν) ἐν τῷ δήμῳ pro κατηγοροῦντα ἐν τῷ δήμῳ τούτου (N)? Num consilio verbis regentibus obiecta apposuit? Hoc ipsum Graffunder librario N obicit, quod Ant. III, γ, 5 τὸν ... ἁμαρτόντα ... διαπῆξαι τὸ ἀκόντιον λέγει pro τὸν ... ἁμαρτόντα ... διαπῆξαι λέγει τὸ ἀκόντιον (A) Ant. I, 22 ἐν ὑμῖν ἐστὶ τοῦ (ex τοῦτο depravatum) ὀρθῶς διαγνῶναι pro ἐν ὑμῖν τοῦτό ἐστιν ὀρθῶς διαγνῶναι,[1]) II, β, 13 περιιδεῖν με ἀδίκως καὶ ἀθέως διαφθαρέντα pro περιιδεῖν ἀδίκως καὶ ἀθέως διαφθαρέντα με (A) Din. I, 107 μοχθηρὰς ἐλπίδας ἔχειν ποιήσετε πάντας pro μοχθηρὰς ἐλπίδας ποιήσετε πάντας ἔχειν (A) suppeditat.

Atque Din. I, 58 A tradit: οὐδὲν οὖν ἄτοπον ... ἐφαίνετο ποιεῖν ὑμῖν, N οὐδὲν ἄτοπον ... ἐφαίνετο ὑμῖν ποιεῖν. Nimirum Graffunderi iudicio N nihil antiquius habuit, quam ut ὑμῖν ad ἐφαίνετο collocaret. Sed adversarii librarii A dicent eum infinitivum ποιεῖν verbo regenti de industria adiunxisse. Praestat igitur ab eiusmodi argumentationibus temperare. Neque meum esse credo N librarium propter eos locos defendere, ubi comparativum et particulam ἢ (Ant. V, 5) vel genetivum ab illo suspensum coniunxit (Din. II, 2)invito Crippsiano, praesertim cum N cum Antiphontis genere dicendi magis concinat. (cf. II, β, 8. II, δ, 2. II, δ, 5. IV, β, 8. V, 42. V, 59.)

Ut autem Graffunderi ratione disputandi utar, quam ob causam A Ant. II, δ, 8 exhibet δοῦλοι ἢ δοῦλαί μοι pro δοῦλοί μοι ἢ δοῦλαι (N)? Num voluit inter verba disiuncta solam particulam disiunctivam esse? Et quod A Lyc. 101 scripsit ἐποίησε τὴν πατρίδα μᾶλλον τῶν παίδων φιλοῦσαν pro

---

[1]) cf. Ant. I, 31: ἐν ὑμῖν δ' ἐστὶ σκοπεῖν τὰ λοιπὰ etc.

ἐποίησε μᾶλλον τὴν πατρίδα τῶν παίδων φιλοῦσαν (N) num de industria cavit, ne comparativum et genetivum comparationis alio verbo seiungeret? At etiam ambiguitatem sententiae verbis transpositis a librario N sublatam esse Graffunder censet. (cf. l.c.p. 27 seqq.) Certissimum eius generis exemplum Ant. IV, β, 8 esse arbitratur. Est enim in Crippsiano: ἀπολυθεὶς διὰ τὸ μὴ ὀρθῶς διδαχθῆναι ὑμᾶς ἀποφυγών. N ὑμᾶς post ὀρθῶς collocavit idque Graffundero iudice fecit, ne quis ὑμᾶς ad ἀποφυγὼν referret. Quam sententiam ut etiam magis nobis probet, ἀποφυγὼν grammatici cuiusdam esse suspicatur. Ego vero credo hanc synonymorum coniunctionem cum natura atque indole Antiphontis orationum optime consentire, velut I, 20 εὐθέως παραχρῆμα ἀποθνῄσκει legimus. (cf. Cucuel l. l. p. 28.) Quodsi A lectionem Oxoniensis, N Crippsiani traderet, Graffunder fortasse suspicaretur N librarium, ne adverbium ὀρθῶς a verbo διδαχθῆναι segregaretur, ordinem traditum infregisse. Quid? Nonne ob Din., I, 110 A in eandem suspicionem, quam Graffunder contra N movit, vocari potest? In Crippsiano enim legimus: τὴν πρότερον δόξαν αὐτῇ ὑπάρχουσαν ἀντίθετε, in Oxoniensi αὐτῇ participium ὑπάρχουσαν sequitur. Num igitur A ambiguitatem evitare voluit, ne quis αὐτῇ cum ἀντίθετε coniungeret? Quamquam hoc fieri potest, melius certe ad ὑπάρχουσαν vel ad utrumque verbum αὐτῇ refertur. (cf. Vogel l. c. p. 22.)

Reliquis dissensionibus, quae ad verborum ordinem pertinent, missis ad particularum μὲν et δὲ collocationem tractandam accedamus. Quod ut via ac ratione fiat, nonnulla de genere dicendi Antiphontis maximeque de enuntiatorum structura nobis praemittenda sunt. Ac mihi quidem O. Müller (GLG. Stuttgart 1876. II, p. 307) rectissime statuisse videtur Antiphontem inter duas orationes dicendi, quae vocantur λέξις εἰρομένη et λέξις κατεστραμμένη, medium locum tenere. Neque verum est, quod Dionysius Halic.[1]) contendit eum in scriptoribus αὐστηρᾶς ἁρμονίας ponendum esse. Immo

---

[1]) Dion. Halic. de Isaeo c. 20: Ἀντιφῶν γε μὴν τὸ αὐστηρὸν ἔχει μόνον καὶ ἀρχαῖον.

vero membra et singula verba orationis Antiphonteae plerumque consecutioni necessariae adstricta esse Belling (De periodorum Antiphontearum symmetria. Vratislaviae 1868. p. 64 seqq.) demonstravit, id quod illi generi dicendi contrarium est. Maiore igitur laude quam Dionysii iudicium Caecilii Calactini dignum est, a quo Antiphontis orationes diligentissime tractatas esse constat (v. Blass ABI, p. 105 seqq.), ita ut eius iudicium iam apud veteres viros doctos multum valeret. (Brzosca: De canone decem oratorum Atticorum quaestiones. Vratislaviae 1883. p. 25). Atque dicit ille de antiquis oratoribus: ἐσπούδαζον γὰρ τὸ ὅλον περὶ τὴν λέξιν καὶ τὸν ταύτης κόσμον, πρῶτον μὲν ὅπως εἴη σημαντική τε καὶ εὐπρεπὴς (τοῖς ὀνόμασιν), εἶτα δὲ καὶ ἐναρμόνιος ἡ τούτων σύνθεσις. (Photius cod. 259 p. 485 b Bekk.) Quamquam confiteor et structuras periodorum simpliciores et compositionem solutiorem, praesertim si narrationes perlustres, inveniri, tamen ea maxime verborum compositio Antiphontis propria est, in qua singula enuntiationis verba inter se respondent et verba paribus locis prodeunt. (cf. Wiedenhofer: Antiphontis esse orationem, quam editiones exhibent primam. Wien 1884. p. 26.) Quae cum ita sint, nonne melius ei librario in collocatione particularum μὲν et δὲ suffragabimur, cuius lectio ad genus dicendi Antiphonteum magis quadrat maioremque praebet concinnitatem? Itaque Ant. II, γ, 8. V, 29. VI, 25. VI, 29. VI, 37 quin Oxoniensem sequamur facere non possumus. Denique Graffundero assentior N librarium Ant. IV, α tit. φόνου κατηγορία pro κατηγορία φόνου (A) et Din. I, 109 πολλοὺς καὶ καλλοὺς (sic Thalheimio teste) κινδύνους pro καλοὺς καὶ πολλοὺς (A) falso exaravisse. (v. Lobeck: paral. gr. I, 60.) Nam quamvis utraque lectio ferri possit, insequentia verba πολλὰ καὶ καλὰ παραδείγματα N librario fraudi fuisse videntur. Accedit, quod quo modo calami lapsus καλλοὺς ortus sit, si in archetypo καλοὺς καὶ πολλοὺς fuit, clarius apparet.

Restant denique loci, ubi vix quisquam investiget, quid N ad ordinem immutandum impellere potuerit, e quibus hos proposuisse satis sit:

Ant. V, 57. N: δεῖ μεγάλην τὴν ἔχθραν ὑπάρχειν.... καὶ τὴν πρόνοιαν ἐκ πολλοῦ φανερὰν εἶναι ἐπιβουλευομένην. A εἶναι φανερὰν ἐπιβ.

Din. I, 112. N: οἳ τὴν προσδοκωμένην καθ' αὐτῶν ἀπόφασιν ἄπιστον βουλόμενοι γενέσθαι συνηγοροῦσιν, A καθ' αὐτῶν (sic) προσδοκωμένην.

Din. II, 16 N: κατὰ τῶν πονηρῶν ἀρὰς ποιούμενοι, A: ἀρὰς ποιούμενοι κατὰ τῶν πονηρῶν.

Quae cum ita sint, Aem. Rosenbergio (Zur äusseren und inneren Kritik der Leocratea. p. 3 et annal. phil. vol. 115. 1877. p. 684) non adstipulari non possum, qui dicit se rationem non invenire, qua ductus N verba tradita transposuerit. Quae sententia a Cohnio comprobatur, qui (l. c. p. 72 seqq.) Oxoniensem non semper tritum ac frequentem ordinem verborum praebere, ubi a Crippsiano recedat, demonstrat. Itaque nunc hunc nunc illum librarium in verbis collocandis sequi opus est. (cf. Thalheim: De Din. codicibus comm. p. 13.) Quamquam puto in locis dubiis, ubi neutrius codicis lectio aliis rationibus commendatur, Oxoniensis auctoritatem eam ob causam pluris aestimandam esse, quod eum ad scribendum magis attentum fuisse iam supra vidimus.[1]) Nam longe plurimas in verborum ordine discrepantias ad errorem vel neglegentiam alterius utrius librarii referendas esse, non ad industriam ac consilium certissimum est. Adde quod iam archetypum correctionibus et additamentis depravatum fuisse veri simillimum est,[2]) ita ut error facillime oriri posset. Neque vero desunt testimonia, unde concludere liceat A librarium etiam in verborum collocatione neglegentem fuisse. Velut Ant. VI, 40 N suppedidat: ἐπειδὴ ἐπύθετο προειρημένον μοι εἴργεσθαι τῶν νομίμων. A autem μοι pronomen omisit et sive postea sive

---

[1]) cf. Cucuel l. c. p. 11 et Kohm: act. diurn. gymn. austr. 1888 p. 44/45.

[2]) Lyc. § 20 legimus in N: ἀλλ' ἀποδιδόναι τῇ πατρίδι τἀληθῆ καὶ τὰ δίκαια καὶ μὴ λείπειν τὴν τάξιν ταύτην μηδὲ μιμεῖσθαι Λεωκράτην, in A: μηδὲ λείπειν τὴν τάξιν ταύτην καὶ μὴ μιμεῖσθαι Λεωκράτην. Manifestum mihi videtur in margine vel supra versus archetypi μηδὲ aut καὶ μὴ fuisse, sed A et N dissenserunt, quo haec nota referenda esset.

inter scribendum errorem agnovit, supra versum post εἴργεσθαι posuit. Sed μοι ad προειρημένον pertinere et iuxta illud verbum unice suum locum habere in oculos incurrit. Neque Din. I, 24 A satis attentum se praebuit. Cum enim falso scripsisset πόλιν οἰκτρῶς ἀπολλυμένην οὕτως pro οὕτως οἰκτρῶς ἀπολλυμένην (N), errore perspecto litteris supra illa verba scriptis (οἰκτρῶς ἀπολλυμένην^{β} οὕτως^{α} pro οἰκτρῶς^{β} ἀπολλυμένην^{γ} οὕτως^{α}) peccatum resarcire conatus iterum dormitavit.

Iam ad ceteras lectiones aggrediamur examinandas, in quibus A et N discrepant. Atque hiatus quidem tractatio ad quaestionem nostram disceptandam nihil confert. Nam Graffunder (l. c. p. 22) ipse negat Benseleri rationes in Dinarchum et Lycurgum transferri posse. Antiphon vero quas rationes in hac re secutus sit, prorsus in dubio est. Unum autem exemplum, quo comprobetur non N solum, sed etiam A in illo genere peccasse in medium proferre liceat. Ant. V, 56 enim N exaravit οὐκέτι οἷόν τε, A οὐκέτ' οἷόν τε. A igitur archetypo invito e eiecisse, sed aspirationem ante spiritum asperum restituere oblitum esse veri simillimum est. Neque assentior Graffundero Ant. I, 14 καλός τε καὶ ἀγαθὸς (N) falsum esse. Nam Franke (Philol. vol. suppl. I p. 431), quem ille laudat, ipse dicit Aeschinis codices alios καλὸς καὶ ἀγαθὸς alios καλὸς κἀγαθὸς exhibere magnamque in ea re fluctuationem conspici. Accedit quod non sollemne illud Graecorum καλὸς κἀγαθὸς sed καλός τε καὶ ἀγαθὸς particula τε addita hic invenimus.

Neque ex ν adscriptiva de auctoritate utriusque codicis quidquam concludi potest. (v. Meisterhans: Grammatik der attischen Inschriften. Berlin 1885. p. 47.)

At etiam in pronuntiandi notis mori aetatis suae obsecutus N peccavit. Ut constanter ἶσος syllaba priore producta[1]) et οἷον τε (cf. Jernstedt praef. p. XLI) et saepius spiritum lenem pro aspero scripsit. Nec tamen A eiusmodi

---

[1]) cf. Jernstedt ad Ant. II, β, 8 et Cobet: Variae lectiones p. 395, ubi docet hic ἶσος Ionum, ἴσος Atticorum esse.

vitiis caret. Ut verbum εἴργειν, cui semper spiritum asperum dedit, silentio praetermittam, cum de spiritu huius verbi sub iudice lis sit,[1]) id commemoro eum Ant. IV, α, 3. IV, α, 4. IV, β, 8. IV, δ, 10 vocabulum ἀλιτήριος spiritu aspero falso ornavisse. Qua in re A librarium neglegentem fuisse etiam Sigg testatur, qui in epistola ad Hugium Crippsiani describendi causa missa dicit: „Statt Spiritus asper steht sehr oft der lenis.“ (cf. Hug. l. l. p. 4.) Neque mihi persuadere potui Ant. I, 14 Crippsianum τούτων ἐθελόντων (θελόντων N) veram lectionem servavisse, cum etiam Ant. III, δ, 3. IV, γ, 1. I, 11, 12. V, 95 brevior forma exstet, apud tragicos autem poetas eam saepissime legi Meutzner (ann. scient. antiqu. 1844 p. 174) multis exemplis confirmavit idemque sensit Ahrens (De crasi et aphaeresi p. 23). Itaque etiam Carolus Scheibe Lys. XXI, 13 Palatini codicis auctoritate motus τῶν θελόντων recepit.[2]) De ἠβούλετο autem et εἵνεκα, quas formas Graffunder (l. l. p. 48) Antiphonti abiudicavit, etiamnunc certatur, cum omnium scriptorum codices parum in hac re consentiant.[3]) Quamquam tituli Graffunderi sententiam commendant, quoniam hi ante annum ducentesimum octogesimum quartum in verbis βούλομαι, δύναμαι, μέλλω augmentum η nunquam habent. (Meisterhans l. c. p. 78.) Sed εἵνεκα et ἕνεκα iam quinto et quarto saeculo a. Chr. n. in titulis Atticis inveniuntur. (Meisterhans l. c. p. 103.)

Quibus disputatis ad articuli usum in Antiphontis Dinarchi Lycurgi orationibus tractandum accedamus. Ac gentium quidem nomina apud Antiphontem et Dinarchum (cf. Graffunder l. l. p. 62 seqq.) articulo carent. Din. I, 19 (τοῖς Ἀρκάσιν), I, 20 (τῶν Ἀρκάδων et τοῖς Θηβαίοις), I, 21

---

[1]) cf. Steph. thes. III s. v. εἴργω et Fritschium: Zum Vokalismus des Herodoteischen Dialektes. Hamburg 1888 p. 6: Im Attischen wird εἵργνυμι und εἴργω durch den Hauchlaut unterschieden.

[2]) Cobet (mnemos. nov. ser. vol. VIII 1880 p. 273) nisi in proverbiis quibusdam et sententiis breviorem formam non inveniri ratus aliis locis longiorem formam restitui vult idemque fere sentit Pertz. (Quaest. Lysiac. cap. II p. 7.)

[3]) Pertz (l. l. p. 6) ne optimum quidem Demosthenis codicem Σ in hac re sibi constare docuit.

(τοῖς Θηβαίοις) Thalheim (l. c. p. 10. 11) articulum contra Graffunderum, qui eum reiecit, retinendum esse exposuit.[1]) Sed I, 39 secundum N ὁ Λακεδαιμονίων φρούραρχος (A τῶν Λακεδαιμονίων) scribendum esse Graffunder et Thalheim consentiunt. Etiam nominibus urbium et terrarum Dinarchus articulum eripuit. Antiphon autem hac in re sibi minime constans est, id quod non minus in articulum hominum nominibus affigendum cadit. In prima enim oratione primo loco excepto (I, 14) nomini Philonei articulum praeposuit, in quinta autem et sexta oratione eum deesse voluit. Nec tamen eandem semper consuetudinem tenuit, nam V, 20 legimus ὁ δ' Ἡρώδης, V, 62 ὁ Λυκῖνος. Itaque dubium est, utrum V, 29 ἐγὼ καὶ Ἡρώδης (A) an ἐγὼ καὶ ὁ Ἡρώδης (N) legendum sit. Dinarchus vero hominum nomina articulo nudavit. Contra I, 58 τοῦ Πολυεύκτου (A om. articulum) praeferendum esse Thalheimio assentior. (cf. Thalh. l. c. p. 11.) Nec minus II, 8 (Κυδιμάχου N, τοῦ Κυδιμάχου A) Oxoniensi obtemperandum est. I, 111 autem A τὸ Δημοσθένει pro τῷ Δημοσθένει (N) recte scripsit.

Lyc. § 24 τοῦ Τιμοχάρους A, Τιμοχάρους sine art. N. cf. § 23 Τιμοχάρει — ὁ Τιμοχάρης. Eodem modo § 112: Φρυνίχου γὰρ ἀποσφαγέντος . . . ὑπὸ τῶν τοῦ Φρυνίχου φίλων . . . εὗρε τὸν μὲν Φρύνιχον. Neque aliter § 117: Ἵππαρχον — ὁ Ἵππαρχος — § 118 τοῦ Ἱππάρχου.

Itaque Lyc. § 24 Crippsiano obtemperandum est et L. Cohn (l. l. p. 61) erravit.

Neque facilius est, ubi alter codicum nomina appellativa articulo privavit, alter ornavit, uter maiore fide sit statuere.

Ant. I hyp. ἡ στάσις δὲ A, στάσις δὲ N. Crippsiano procul dubio obsequendum est. (cf. Graffunder l. c. p. 69.)

Ant. I, 23 ὑπὲρ μητρὸς τῆς αὐτοῦ ζώσης N, τῆς μητρὸς A. Veri similius est aliquem articulum inseruisse. (cf. Kühner: gramm. gr. II, 1 p. 522 et Cucuel l. l. p. 54.)

eod. ὑπὲρ πατρός μου N, ὑπὲρ τοῦ πατρός μου A. Oxoniensis lectio ferri nequit.

---

[1]) cf. Kohm: act. diurn. gymn. austr. 1888 p. 38.

I, 16 θύσαντα ἱερά N, τὰ ἱερά A. N certissime peccavit.

I, 31 οἶμαι δὲ καὶ θεοῖς τοῖς κάτω μέλειν οἳ ἠδίκηνται N, τοῖς θεοῖς A. cf. I, 29 (καὶ φίλους καὶ ἀναγκαίους τοὺς σφετέρους καλοῦσι) et I, 30 (οἰκέτας τοὺς σφετέρους αὐτῶν ἐπικαλοῦνται μάρτυρας). Quos locos ad Oxoniensem defendendum nihil conferre Graffunder sine iusta causa contendit. Nam indefinitum substantivum θεοῖς articulo insequenti definitur. Accedit, quod vocabulum θεὸς articulo saepe destitutus est. (Kühner gramm. gr. II, 1 p. 521) cf. etiam Ant. I, 22 ἀνήκουστα καὶ θεοῖς. I, 25 ὁσιώτερον καὶ πρὸς θεῶν καὶ πρὸς ἀνθρώπων. Thuc. III, 59: θεοὺς τοὺς ὁμοβωμίους . . ἐπιβοώμενοι. His rationibus moveor, ut Oxoniensem sequendum putem.

II, α hyp. ὅθεν στοχασμὸς ἡ στάσις ἀτελής, ἐκ μόνου προσώπου συνιστάμενος N, μόνου τοῦ προσώπου A recte. Nimirum Graffunder (l. c. p. 70) censet N articulum de industria eiecisse, quod verum esse haud scio an nulli persuadeat. Immo post μόνου facillime τοῦ intercidisse nemo non intellegit.

II, α hyp. ἐν μὲν προοιμίοις articulo τοῖς falso omisso N, τοῖς προοιμίοις A.

II, α, 1 ἔμπειροι δὲ πραγμάτων ὄντες N, τῶν πραγμάτων A. A librarium verbis antecedentibus ὁπόσα μὲν τῶν πραγμάτων impulsum articulum addidisse suspicor. Nam hunc ad articulum πραγμάτων substantivo praefigendum pronum fuisse ex III, β, 1 elucet, ubi Apr.[1]) exaravit: ἠναγκάσθην ... ὑπὲρ τῶν πραγμάτων (πραγμάτων N) ἀπολογεῖσθαι, ὧν ἐγὼ χαλεπῶς μὲν τὴν ἀκρίβειαν ἔγνων. Hic autem τῶν molestum esse manifestum est.

II, δ contra usum N falso ἡ ὑπόθεσις, ὑπόθεσις recte A.

IV, α, 2 τὴν γῆν καὶ θάλασσαν N, τὴν θάλασσαν A. Merito Crippsiani lectio ab editoribus praelata est. (cf. Graffunder l. c. p. 71.)

V, 33 μετὰ χρηστῆς τῆς ἐλπίδος A, τῆς om. N.

Utraqe lectio ferri potest. cf. Ant. II, γ, 6 (ἀμφοτέρας τὰς διώξεις ἐν ἴσαις ἐλπίσι θῶμεν) III, β, 2 (ὑπὸ δὲ σκληρᾶς ἀνάγκης βιαζόμενος). VI, δ, 8 (ἀλλοτρίᾳ τύχῃ κέχρηται).

---

[1]) Utrum A ipse an alter corrector τῶν eraserit non liquet.

Cum autem saepius Antiphon substantivo ἐλπίς articulum addat (cf. Graffunder l. c. p. 71) Crippsiano obsequi malim.

V, 42 ὁ ἕτερος ἄνθρωπος, ὁ πλέων N, ὁ omisit falso A.

VI, 2 ὁ χρόνος καὶ ἐμπειρία N, ἡ ἐμπειρία A.

N procul dubio deliquit.

VI, 5 ὅπερ ἐστι μέγιστον τοῖς ἀνθρώποις ἀγαθόν N, ἀνθρώποις sine art. A.

Utraque lectio Antiphontis generi dicendi convenit. cf. exempla, quae Graffunder (l. l. p. 72) in medium protulit. Oxoniensis autem lectioni favent VI, 4 (μέγιστα καὶ παλαιότατα τοῖς ἀνθρώποις) et VI, 5 (ἔστι μὲν γὰρ τὰ πλείω τοῖς ἀνθρώποις τοῦ βίου ἐν ταῖς ἐλπίσιν). At haec ipsa exempla N librarium decepisse et addendi periculum propius fuisse quam omittendi puto.

VI, 27 A librarium articulum ante αἰτία errore omisisse omnes consentiunt.

Lyc. § 111 τοιούτους sine art. N, τοὺς τοιούτους A.

Lyc. § 114 τὰ τοιαῦτα N, τοιαῦτα A.

Utroque loco articulus restituendus est. cf. Cohn l. c. p. 61 et Lyc. § 9 ὑπὲρ τῶν τοιούτων, § 110 τὰ τοιαῦτα τῶν ἔργων, § 126 τοὺς τοιούτους, § 138 οἱ τοιοῦτοι.

Peccata, quae uterque librarius in Dinarchi orationibus aut addito aut omisso articulo commisit, cum Thalheim (l. l. p. 8 seqq.) scite tractaverit, ego haec mitto. Id tantum commemorare mihi liceat Din. II, 22 (μὴ γὰρ ἰδίους τοὺς ἀγῶνας τούτους ὑπολάβητε εἶναι N, τοὺς om. A) Crippsiani lectionem inferiorem mihi videri.[1]) (cf. Lange: diurn. gymn. XXXXI a. 1887. p. 130.) Praeterea addo I, 101 (τῆς ἐν τῷ πρυτανείῳ σιτήσεως N, τῷ A om.) Crippsiani lectionem etiam titulorum usomu cprobari, in quibus nomina, quae locum significant, articulo carent. (cf. Meisterhans l. c. p. 90.)

Ac de articulo quidem haec hactenus. Id certum est neque A neque N librarium culpa vacare. Neque quod N

[1]) Idem sentit Kohm: l. c. p. 39.

aliquid saepius quam A in Antiphontis orationibus articulum aut falso inseruit aut expulit, nimio ei crimini dare possumus, cum eiusmodi vitia ne in optimis quidem codicibus desint.

His peractis nonnullos eorum locorum examinemus, ubi N librarium etiam sententiam verborum suo arbitrio immutavisse Graffunder iudicat.

Ant. II, γ, 2 εἴτε γὰρ προσιόντας τινὰς προϊδόντες . . . ᾤχοντο N, ἰδόντες A.

Qua de re recte dicit Cucuel (l. c. p. 14): „Ce qui frappe tout d'abord dans les discours d'Antiphon, c'est le grand nombre des composés prépositionnels, surtout verbes, qui s'y rencontrent presque à chaque pas.“ Atque alterum quidem genus compositorum ita est comparatum, ut simplicis significatio a composito non dissentiat, alterum ita, ut praepositione vis verbi mutetur. Hic locus, de quo agimus, in posteriore genere numerandus est. Nam composito προϊδόντες narrationem dilucidiorem fieri facile elucet. Tetralogiarum enim auctor non tam illustrare voluit interfectores viros obviam euntes vidisse, sed praevidisse, priusquam accesserunt. Accuratissime enim ille, quod voluit, expressit. Itaque etiam II, β, 12 ἔκ γε τῶν προειργασμένων scripsit, quamvis ex ipso perfecto appareat res antea gestas significari. Inde apertum fit II, γ, 2 Oxoniensis lectionem anteponendam esse. Neque aliter de Ant. III, γ, 9 iudicabimus:

ἃ ὁ νόμος ἀποδίδωσί μοι μὴ τυχὼν παρ' ὑμῶν N, δίδωσι μοι A.

Ac Graffunder (l. l. p. 51) quidem putat audacius loqui accusatorem: „Si a vobis non impetravero, quae lex mihi ut debita reddit.“ Sed accusatoris audacia vehementibus eius affectibus excusatur, quoniam puerum necatum non immerito gravissime dolet. (cf. III, α, 2. III, γ, 11. 12.) Accedit quod inter compositum et simplex non tantum interest, quantum Graffunder vult. cf. IV, δ, 1: τῷ χρόνῳ ἀποδόντες.

Cum autem certum sit, ut Cucuel recte monuit, Antiphontem verba composita adamavisse, quin II, β, 9

(ἀπεστερούμην N, ἐστερούμην A), V, 48 (ἀποθνῄσκουσι N, θνῄσκουσι A),[1]) V, 92 (ἐξεργάζοιτο N, ἐργάζοιτο A) Oxoniensis veram lectionem servaverit, non est dubium. Huc spectat etiam Din. II, 15, ubi non minore iure Thalheim (l. c. p. 9) secundum N τοῖς τοῦτον προσδεχομένοις σύμβουλον (δεχομένοις A) legi vult. Etiam Din. I, 94 (ὅσα μεταβαλλόμενος ἐν τοῖς πράγμασι καὶ δημηγορῶν οὐδὲν ὑγιὲς διατετέλεκε N, τετέλεκε A) Graffunder (l. c. p. 52. 53) Crippsianum frustra contra editores defendit. Contra Din. I, 104 δεῖξαι, quod A suppedidat, loco magis quam ἐνδεῖξαι (N) convenit.

Quem ad modum N librarius Graffundero iudice a nullo crimine abhorrebat, sic ne particulas quidem inspergere dubitavit. Velut Ant. III, δ, 9 in A legimus: κεκολασμένου δὲ τοῦ ἀποκτείναντος οὐκ ἀτιμώρητος ὁ φόνος ἐστίν· ἔχοντός γε τὴν δίκην τοῦ φονέως etc.

Labem in his verbis inesse, quippe quae conexu careant, Graffunder fatetur. Nihilo setius Oxoniensi fidem denegavit, qui post γε particula δὴ inserta archetypi lectionem haud dubie servavit. Neque enim eam quisquam aptis argumentis refellere poterit, praesertim cum γε et δή coniungere linguae Graecae esse Hartung (Partikellehre I, p. 275/76) diserte explanaverit. Eandem particulam Din. I, 60 in verbis δεῖξον γὰρ δὴ τοῖς δικασταῖς σὺ Δημόσθενες (A om. δή) N retinuit eique Thalheim Graffunderi rationibus reiectis (l. c. p. 12) suo iure obtemperavit. Neque aliter de Ant. II, δ, 9 et V, 3 iudicabimus. Utroque loco N μὲν addidit, A omisit. Quamvis Schäfer (l. c. p. 26) demonstraverit duorum sententiae membrorum, quorum posterius particula δὲ infertur, priori Antiphontem saepius particulam μὲν eripuisse, tamen hanc facillime excidere potuisse nemo non intellegit; μὲν autem cum γάρ coniungere Graecos consuevisse Hartung (l. c. II, 404) docuit et exemplis confirmavit. (cf. Ant. IV, δ, 2. V, 36. VI, 30.)

---

[1]) Fac memineris simplicis verbi θνῄσκειν sola perfecta et plusquamperfecta (III, γ, 10. IV, β, 3. 6. IV, γ, 4. V, 74) apud Antiphontem inveniri. cf. Ignatium l. c. p. 10.

Ant. II, γ, 2: οἱ ἐντυχόντες.... ἤγγειλαν ἂν ἡμῖν καὶ οὐχ οὗτος ἂν τὴν αἰτίαν εἶχε (N). A alterum ἂν omisit. Nimirum Graffunder censet N librarium libidini indulsisse. Sed quamquam vis particulae ἂν a priore membro ad posterius deflecti potest,[1]) quod genus dicendi in triviis decantatum dicit Franke (act. soc. Graec. II, 35), particulam repetere Antiphontis consuetudini magis convenit, ut legimus I, 7 οὗτος... ἂν ἀπελογεῖτο καὶ ἀντέσπευδε.. καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ ἀπήλλακτο ἄν, II, γ, 2 τὸ κακούργημα ἂν ἐκηρύσσετο καὶ εἰς τούτους ἂν ἡ ὑποψία ἧκεν, V, 13 ὡς οὐκ ἂν παρέμεινα, εἰ ἐλελόμην, ἀλλ' ᾠχόμην ἂν ἀπιών. Quid? Nonnullis locis etiam ad unum verbum definiendum bis particula ἂν posita est, ut IV, γ, 5: καὶ γὰρ ἄν... ἂν ἔφη eodemque loco πῶς ἂν ἄλλος... φονεὺς εἴη ἄν; V, 11 οὔτ' ἂν πολλὰ ἀγαθὰ εἰργασμένος τούτοις ἂν ἐσῳζόμην. Itaque suspicor A etiam Ant. IV, δ, 11 prius ἂν neglexisse, ubi N exhibet: οὕτω γὰρ ἂν δικαιότατα καὶ ὁσιώτατα πράξαιτ' ἄν. Tam minuta autem vocabula saepe in codicibus omissa aut addita esse nemo est quin intellegat. Nam „eorum salus saepissime a tenui lineola pendebat.“ (v. Cobet: Var. lect. p. 100. 633.)

Reliquos locos, de quibus disputaturus sum, eo ordine pertractabo, quo eos apud oratores invenimus, ita ut a prima Antiphontis oratione initium capiam.

Ant. I, 3 μὴ ἅπαξ ἀλλὰ πολλάκις N, ἀλλὰ καὶ πολλάκις A. Quamvis καὶ sententia non laesa deesse possit (cf. Ant. III, γ, 11 οὐχ ὅσια, ἀλλὰ ἀνόσια, IV, γ, 3 οὐδὲ τοῖς αὐτοῖς, ἀλλὰ τοῖς ἐναντιωτάτοις, II, δ, 5 ἔστι δὲ οὐκ ἀπεικὸς ἀλλὰ εἰκός)[2]) potius tamen N particulam καὶ neglegentia omisisse quam A de industria eam inculcavisse mihi videtur (cf. Ulr. de Wilamowitz-Möllendorff Hermae vol. XXII a. 1887. p. 199).

Ant. I, 12 εἰ γὰρ τούτων ἐθελόντων διδόναι εἰς βάσανον ἐγὼ μὴ ἐδεξάμην (N), ἐγὼ δὲ μὴ ἐδ. A.

Quin in apodosi particulam δὲ post structuras participiales addere Atticorum sit, non est dubium. (cf. Graffunder

---

[1]) cf. Ant. V, 38 et Matthiae: Gramm. Gr. p. 982.

[2]) cf. Belling l. c. p. 25.

l. l. p. 78/79 et Gölkel: Beiträge zur Syntax des Verbums und zur Satzbildung bei dem Redner Antiphon. Passau 1883, p. 37.) Sed N librario suffragantur insequentia verba, quae his respondent, εἴπερ ἐμοῦ θέλοντος ἔλεγχον λαβεῖν τοῦ πράγματος αὐτοὶ μὴ ἠθέλησαν δοῦναι, ubi δὲ post αὐτοὶ non exstat. Nec tamen hoc satis testimonii est, quo A refutetur. Accedit autem, quod § 11 legimus εἰ οὗτοι — ἠθέλησαν ... παραδοῦναι, ἐγὼ δὲ μὴ ἠθέλησα παραλαβεῖν, ubi particula δὲ carere nequaquam possumus, et haec verba A librarium in laqueos illexisse suspicor.

Ant. II, β, 4 εἰ γὰρ τούτων ἀναιτίων ὄντων ἐν ἐμοὶ τ'ἀδίκημα φανεῖται, τούτων ὑπόπτων ὄντων ἐγὼ δικαίως καθαρὸς δοκοίην εἶναι N, δ'εἰκότως καθ. δ. εἶναι A. δ'εἰκότως ferri non posse Graffunder (l. l. p. 80) concedit. Attamen Oxoniensis lectionem δικαίως respuit, quippe quae legibus logicis ei adversari videatur. Sed quis est qui in hac ratiocinatione offendat: „Si his insontibus ad me omnis culpa revolvitur, iustitia postulat, ut his suspectis ego integer videar?“ § 10 autem, quem locum Graffunder laudavit, hoc modo verba cohaerent: „Nisi magnis iniuriis acceptis propugnavissem, non veri simile videretur me eum interfecisse.“ Itaque hic locus ab illo longe segregatus est nec nos adducere potest, ut Oxoniensis lectionem aspernemur.

Ant, II, γ, 8 οὐ γὰρ ἐπὶ μαρτύρων ἀλλὰ κρυπτόμενα πράσσεται τὰ τοιαῦτα N, πράσσεται ταῦτα A. Quodsi Graffunder ad Crippsianum defendendum II, α, 5 (ἔστι δ' ὁ διωκόμενος οὗτος) laudat, haud scio an debili fundamento nitatur. Nam οὗτος ex τοιοῦτος depravatum esse opinor. Utut est, comparantibus nobis II, γ, 4 (οὐ γὰρ ἐπὶ ταῖς τοιαύταις μαρτυρίαις βασανίζονται), II, δ, 12 (ἀνίατος γὰρ ἡ μετάνοια τῶν τοιούτων ἐστίν), IV, α, 6 (οἷς οἱ τοιοῦτοι κολάζονται), V, 58 (καὶ γὰρ ἂν τῶν τοιούτων ἕνεκά τις ἀναγκασθείη τοῦτο ἐργάσασθαι) elucebit τὰ τοιαῦτα scribendum esse.

Ant. IV, γ hyp. ἐκ τούτων φησὶ θαυμάζω ὅτι οὐκ εἰκός N, ἐν τούτῳ A.

Sine iusta causa Graffunder N ob hoc vitium interpolationis insimulavit. (cf. Blass: edit. Ant. p. 49.)

Ant. V, 11 δέον σε διομόσασθαι ὅρκον . . . ἐξώλειαν σαυτῷ καὶ γένει . . . ἐπαρώμενον N, αὑτῷ A.

Ac Maetzner quidem αὑτῷ emendavit in αὐτῷ, quod Graffunder et Bohlmann (De caede Herodis oratio. Liegnitz 1886) amplexi sunt. Neque dubium est, quin persona tertia pronominis reflexivi de prima ac secunda persona frequentetur (cf. Maetzner edit. Ant. p. 181 et Graffunder l. l. p. 82), quamvis Herwerden (mnemos. vol. 11 p. 215) et Cucuel (l. c. p. 66) ab hac sententia dissideant. Itaque N librarius, qui σαυτῷ scripsit, suo arbitrio obsecutus esse videtur.

V, 14 οὐ δεῖ ὑμᾶς ἐκ τῶν τοῦ κατηγόρου λόγων τοὺς νόμους καταμανθάνειν, εἰ καλῶς ὑμῖν κεῖνται ἢ μή, ἀλλ' ἐκ τῶν νόμων

οὗ ου

τοὺς τῶν κατηγόρων λόγους, . . . εἰ . . . διδάξει N, εἰ . . . διδάξουσι A. Ex διδάξει Weidner διδάσκει et ex διδάξουσι Reiske διδάσκουσι restituit. Crippsiani lectio magis mihi arridet. Recte enim Bohlmann (Antiphontea p. 5) monet, ut verbum κεῖνται ad νόμους pertineat, sic concinnitatem suadere, ut etiam διδάσκειν ad λόγους referamus. Accedit quod non tam de accusatore ipso quam de eius verbis agitur.

Ant. V, 26: ἐγγύς που τοῦ λιμένος εἰκὸς ἦν αὐτὸ γίγνεσθαι (N), τοῦτο γίγν. A.

Potius αὐτὸ librarii dubitationem movere potuit quam τοῦτο, nisi melius putamus discrepantiam ad errorem referendam esse alterius utrius librarii. Oxoniensi suffragantur Ant. V, 5 (δέομαι ὑμῶν συγγνώμην ἔχειν μοι καὶ ἡγεῖσθαι ἀπειρίᾳ αὐτὸ μᾶλλον ἢ ἀδικίᾳ ἡμαρτῆσθαι et VI, 8 ἡγοῦμαι . . . αὐτὰ οἴσειν. Itaque αὐτὸ magis mihi arridet.

V, 85 οἶμαι δὲ καὶ ὑμῶν ἀποψηφίσασθαι A, καὶ om. N.

Non male Bohlmann[1]) locum hoc modo restituit: οἶμαι δὲ καὶ πρὸς ἐμοῦ εἶναι καὶ ὑμῶν ἀποψηφίσασθαι. Nec tamen assentior Graffundero (l. c. p. 82), qui N librarium καὶ de industria omisisse putat.

Neque enim video, quid eum ad hanc particulam eiciendam impulerit.

---

[1]) cf. Antiphontea p. 29.

V, 90 καὶ φεισαμένοις μὲν ὑμῖν ἐμοῦ νῦν ἔξεστι τότε χρῆσθαι ὅτι ἂν βούλησθε N, ψηφισαμένοις A.

Atque adversarii librarii N ἀποψηφισαμένοις veram lectionem esse, φεισαμένοις vero ineptam illius coniecturam esse contendunt. Quam suspicionem quamquam Jernstedt (praef. XXXVI seqq.) non male refutare studuit, ἀποψηφισαμένοις scribi malim, non quod Cobet (mnemos. 1880 p. 288) φείδεσθαι huic loco non convenire mihi persuaserit, sed quod hoc verbum nunquam apud Antiphontem invenitur. (cf. Langium: annal. societ. philol. Berol. Berolini 1887, p. 122. 123.)

Denique Din. I, 91 in medium profero, ubi legimus: οὐδὲ γὰρ ἔχω, τί ἄλλο εἴπω A, οὐ pro οὐδὲ N.

Hic Th. Thalheim non suo iure οὐδὲ praetulit, sed J. Kohm (act. diurn. gymn. austr. 1888, p. 38) οὐ γὰρ pro οὐδὲ γὰρ retinendum esse recte contendit.

Ne autem iniusto quodam librarii N studio impulsus huic nimis favere videar, ei quoque loci mihi afferendi sunt, ubi A et Npr. adversus N_1 consentiunt. (cf. Thalheim l. c. p. 5.) Atque his quidem locis N_1 falsa tradidit, A et Npr. vera vel veriora.

Ant. IV, α, 1:

εἰς ἀγῶνα καθιστάντας ANpr.,

„ „ καθιέντας N_1.

Ant. V, 81: τεκμηραμένους ANpr., αι et ο superscripsit N_1.

Ant. V, 96: κατηγορήσουσι A, — ήσ . . σι Npr., — ήσωσι N_1. (cf. Jernstedt praef. p. XXVI.)

Ant. VI, 30: ὅπου μὲν γὰρ λόγῳ τις διδάσκοι . ., μάρτυρας δὲ μὴ παρέχοιτο, μαρτύρων ἂν τις τοὺς λόγους τούτους ἐνδεεῖς φαίη εἶναι· ὅπου δὲ μάρτυρας μὲν παρέχοιντο, τεκμήρια δὲ . . μὴ ἀποφαίνοιντο etc. A, παρέχοιτο[1]) ex παρέχοιντο correctum et ἀποφαίνοιτο N.

---

[1]) sc. de altero παρέχοιτο agitur.

Cum A et Npr. [illegible] exhibentes concinant, hanc lectionem in archetypo fuisse certum est. Neque fluctuabis, qua de causa N_1 [illegible] correxerit. Haesitavit enim in numero plurali, quoniam [illegible] subiectum est, eandemque ob causam statim [illegible] pro [illegible] scripsit. Sed hanc transitionem a singulari ad pluralem numerum non inauditam esse Graffunder (l. c. p. 84) luculenter explicavit.

Din. I, 47 [illegible] Npr., [illegible] N_1, [illegible] Apr. Rectam lectionem [illegible] N_2 et A_2 restituerunt. N_1 igitur ο in ω suo Marte mutavisse videtur.

Din. I, 94 ποτὲ ANpr., ὅτε N_1.

Lyc. § 100 συνεθίζεσθ. Npr., συνεθίζεσθε N_1, συνεθίζεσθαι A.

Hisce duobus locis N_1 veriora quam A et Npr. tradit:

Ant. V, 71 καὶ ὅπω A, . . . πω Npr., ὅπω N_1.

Din. I, 99 κινδυνεύει Apr. Npr., κινδυνεύῃ N_1 A_2.

Alios locos, ubi uterque librarius erravit, ut Ant. VI, 23 (ἕτοιμος εἶ . . Npr., ἕτοιμός εἰμι N_1, ἕτοιμος εἶεν Apr., ἕτοιμοι εἶεν A_1,[1]) vel dubium est, utra lectio praeferenda sit, ut Din. III, 12 (τῆς ἡμετέρας . . . . ἡγεμονίας N, τῆς ἡγεμονίας ἡμῶν A) vel archetypus corruptam lectionem praebuit, ut Ant. VI, 21 (οὐ δίκαιον οὐ ANpr., οὐ δίκαιον οὗ N_1) silentio praetermitto.

Ant. VI, 30 autem (διδάσκει Npr. A_1, διδάσκοι Apr. N_1) archetypi ductus tam difficiles ad legendum erant, ut uterque librarius haesitaret. Neque aliter de ceteris locis, quos modo commemoravi, iudicandum erit. Ant. V, 96 vero N interpolatoris munere functum esse haud scio an nemo neget.

Denique de adnotationibus marginalibus, quae in Oxoniensi exstant, pauca dicere mihi liceat. Quodsi Graffunder (l. l. p. 85 seqq.) censet ex eis certissime colligendum esse N librarium grammaticum fuisse, eis nimis auctoritatis tribuit. Nam ut illae ad N ipsum referendae sint,[2]) si is grammaticus fuisset, haud dubie multo plures adnotationes fe-

---

[1]) εἴην scribendum esse Langio (l. l. p. 130) adstipulor.

[2]) cf. Jernstedt praef. Ant. XXVII, L. Cohn l. c. p. 59, G. Lange l. c. p. 131.

cisset easque de suo dedisset neque tam anxie summariorum tantum vestigia pressisset. Neque magni momenti est, quod N Ant. VI, 21 σφάλμα adscripsit, quoniam ad hanc corruptelam cognoscendam magno acumine non opus est.

Iam igitur eo progressi sumus, ut animo repetere possimus, quid dissertatione nostra effecerimus. Atque id quidem demonstravisse mihi videor, Graffunderum Crippsiani dignitatem pluris quam par est aestimare, Oxoniensis vero auctoritatem nimis despicere. Recte igitur iudicant Georgius Hüttner (Bursian, vol. 46, 1886 p. 5) et Gustavus Lange (l. l. p. 131) eum non sine ira et studio quaestionem tractavisse.

Nam quod ille ex correctionibus, quae in A inveniuntur, eius fidem cognosci arbitratus est, erravit, quoniam vitiis, quae correctione sublata sunt, neglectis satis multa menda nec multo pauciora quam in N codice remanserunt. Accedit quod minime certum est, id quod Graffunder (cf. l. c. p. 87) credit, A librarium describendi labore finito codicem cum archetypo contulisse. Neque ipsum Graffunderum fugit A nonnullis locis traditam lectionem temptasse, id quod potissimum ex nonnullis correctionibus falsis cum N non conspirantibus apparuit. Sed etiam aliis locis, ubi A et N discrepant, interpolationem ad A redire patefactum est. Eos autem locos, ubi codices, de quibus agimus, verba omiserunt, considerantes neutrum huius culpae absolvi posse invenimus. Quodsi Graffunder verborum collocatione tractata ruinam paene auctoritati codicis N paravisse sibi videtur, eum magno in errore versari ostendimus. Frustra enim legem, quam in verbis transponendis secutus sit, quaeras. Hiatu autem aliisque pronuntiationis notis peractis ad quaestionem nostram disceptandam nihil fructus percepimus. Neque quod N in articuli usu plura deliquit quam A, inde multum concludere licet, cum haec res dubitationum plena sit.

Denique ut totam rem breviter complectar, nihil est, cur N librarium virum grammaticum eumque doctissimum fuisse putemus.

Neque vero intellego Cohnio (l. c. p. 66) adstipulatus, quo modo vir grammaticus in tam absurda vitia, quae permulta nobis in Oxoniensi occurrunt, incidere potuerit. At — ita adversarii librarii N clamant — illa vitia non ab isto viro grammatico in codicem illata sunt, sed ab alio quodam eoque hebeti viro, qui codicem a viro eruditissimo interpolatum descripsit. (cf. Briegleb l. c. p. 3 et Hug l. c. p. 18.) His autem respondendum est permulta vitia exstare, quae utrique codici communia sunt, e quibus pauca afferre mihi liceat:

Ant. I, 9 legendum est ἠθέλησα μὲν — ἠθελήσαμεν codices.

Ant. I, 10 ἐπερωτῴην leg.
ἐπερωτῶ μὴ codices.

Ant. III, γ, 7 ἀρνούμενος leg.
ἀρνουμένου codices.

Ant. IV, δ, 6 χρεισσόνως leg.
χρεῖσσον ὢν codices.

Din. I, 36 ὤφελον leg.
ὄφελον codices.

Din. I, 46 ὃν προσῆκεν ἀπολωλέναι leg.
ὧν προσῆκεν ἀπολωλέναι codices.

Din. I, 73 τοῦ ἱεροῦ λόγου leg.
τοῦ ἱεροῦ λόγου codices.

Din. I, 75 μόραν leg.
μοῖραν codices.

Din. I, 102 οὕτω leg.
οὐ τῷ codices.

Din. II, 23 προστάττον leg.
πρός τ' αὐτὸν codices.

Haec exempla sufficiant. Quae vero vitia et Crippsianus et Oxoniensis exhibent, ea procul dubio in archetypo fuerunt. En doctus vir, qui sine dubitatione permulta et

turpissima eius generis vitia in codicem recepit. Nec tamen hac re prohibemur, quominus arbitremur virum ineruditum nonnulla proprio ingenio recte emendavisse. Immo vero Blass bene dicit: (praef. Ant. p. XXII) „Fieri non poterat, quin vel inertissimi librarii, Graeci tamen homines, aliquando nota ignotis, planiora impeditis substituerent, neque quisquam eorum unquam machinae ut ita dicam instar quae acceperat fideliter reddidit.“ Quo fit, ut in Antiphontis, Dinarchi, Lycurgi orationibus edendis et Crippsiani et Oxoniensis ratio habenda sit. Quam rationem Theodorus Thalheim (De Dinarchi codicibus commentatio p. 6) optime defendit eamque in Lycurgi et Dinarchi orationum editionibus summa religione ac sagacitate secutus est. Hoc enim tantum modo archetypi lectiones restitui possunt. Quam viam, quamvis ardua sit, solam ad veritatis lucem nos perducturam esse cum doctissimo illo viro plane consentio.

VITA.

Natus sum Adolfus Bienwald a. d. III. Id. Oct. a. h. s. LVII in vico Aslau haud procul a Boleslavia sito patre Ernesto, matre Ernestina e gente Bley, quos adhuc superstites esse magnopere gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum elementis imbutus per septem annos gymnasium Boleslaviense frequentavi, quod tum a Beiserto regebatur. Maturitatis testimonium adeptus a. LXXVI Vratislaviam petii et civibus academicis adscriptus per septies sex menses praecipue studiis theologicis et philologicis operam dedi. Audivi viros doctissimos Caro, Dilthey, Freudenthal, Hahn, Hertz, Ludwich, Meuss, Neumann, Raebiger, Reifferscheid, Reuter, Roepell, Rossbach, Schultz, Weber, Weingarten, Weinhold, quos omnes grata semper colam memoria. Examine pro facultate docendi a. h. s. LXXXIII probatus inde a mense Januario anni insequentis in gymnasio Javoriensi et inde a mense Aprili a. LXXXV in gymnasio Gorlicensi magistri munere functus sum.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Tetralogiae, quae sub Antiphontis nomine feruntur, genuinae sunt.

II. Soph. Trach. 144 seqq. legendum propono:

τὸ γὰρ νεάζον ἐν τοιοῖσδε βόσκεται
χώροις, ἵν' αὐτὸ παῖζον οὐ θάλπος θεοῦ
οὐδ' ὄμβρος οὐδὲ πνευμάτων οὐδὲν κλονεῖ, etc.

III. Lydia et Dirae carmina non ab eodem poeta conscripta sunt.

IV. Lex, qua quaevis res ad certam causam referenda est, nobis innata est.

V. Jam in infimis classibus gymnasii exercitationes in latine dicendo instituendae sunt.